


Pharmacopoeia
Hanover

PHARMACOPOEA

HANNOVERANA

NOVA.



HANNOVERAE.

IN BIBLIOPOLIO AULICO HAHNIANO.

1833.



PRAEFATIO.

Quatuordecim fere anni elapsi sunt, ex quo apparuit primo Pharmacopoea Hannoverana.

Exhausta nunc prima ejusdem editione hujusque versione germanica, urget jam necessitas, novam ejus dare copiam. Intactum vero pristinum restituere textum, absonum sane fuisset, prout enim tempora mutantur, ita etiam aliam induunt speciem scientiae humanae. Reprobata scilicet alia abjiciuntur, alia corriguntur, alia postremo nova inveniuntur, et in usum vertuntur:

Idem et nostra testatur Pharmacopoea. Experientia enim docente plura eam olim, pia quasi mente exhibuisse medicamenta antiquitus inaniter celebrata, quibus novissimis temporibus medici plane non uterentur, consultius visum est, eadem denuo non recipere, et nulli dubitamus, quin in quavis postera editione idem repetatur consilium, eo tendens, ut apparatus medicaminum, quo arctior limitibus, eo reddatur virtute insignior.

Nec minus officii fuit emendare quae manca, vel vitiosa in medicamentorum praeparatione et mixtura cognita sunt.

Nova denique remedia, vel a medicis, vel a naturae curiosis et chemicis nuperis temporibus detecta, atque salutari usu probata, nostram non potuerunt non ingredi Pharmacopoeam.

Recte ergo, et vere nova vocatur, etsi pro rei natura plurima retinuerit, e quibus prima fuit exstructa editio, quo etiam pertinent, praeter nomenclaturam, cujus indicatur ratio synonymica indice generali, annotationes practicae medicae de vi, usu, et dosibus medicaminum, tam usu, quam publico suffragio, quantum novimus, non repudiatae.

Loco asterisci, pridem insignientis medicamenta, cum simplicia tum composita et praeparata, quibus supersedere nulli officinae pharmaceuticae regni licet, proprius annexus est catalogus, nomina eorum referens.

Alia praemonenda non adsunt, caetera usus dabit.

Hannoverae, MDCCCXXXII.

PONDERA ET MENSURAE.

Pondera in officinis nostris usitata, desumta sunt a *Libra Norica*, medicinali sic dicta; quarum triginta aequant quadraginta sex Marcas Coloniensis.

Libra	continet	*Uncias duodecim.*
Uncia	—	*Drachmas octo.*
Drachma	—	*Scrupulos tres.*
Scrupulus	—	*Grana viginti.*
Mensura	—	*Uncias triginta duas.*

Pondera specifica hinc inde notata, ad Gradum + 12 usque + 14 Scalae Thermometri Reaumurii definita accipienda sunt.

RELATIO

variorum ponderum officinalium ad pondus Grammatum et pondus Coloniense Marcae.

		Grammata.		Nummi normales Richtpfennige.	
Libra una Ponderis officinalis Germanici	=	357,56686	=	100224	—
— — — — — Vindobonensis	=	420,00900	=	117726	—
— — — — — Anglici s. Troy	=	372,95683	=	104538	—
— — — — — Gallici antiqui	=	489,50585	=	137206	—
— — — — — Batavi —	=	369,17570	=	103478	—
— — — — — Suecici —	=	356,31870	=	99874	—
— — — — — Hispanici	=	345,02760	=	96709	—
— — — Coloniensis Marcae	=	467,62256	=	131072	—
— — — Anglici Averdupois	=	453,50515	=	122098	—
— — — Batavi Troy —	=	492,23427	=	137970	—

COMPARATIO

Ponderis officinalis Germanici cum Pondere Gallico Grammatum, Coloniensi Marcae, Gallico Marcae (Poids de Marc.) Anglico officinali eodemque Batavo atque Vindobonensi.

Continet.	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupulus.	Granum.
Grammata.........	357,56686	29,797......	3,7246.....	1,2416......	0,06207
Nummos normales Coloniens.............	100224.....	8352.........	1044.........	348.........	17,4
Grana Marcae Gallicae (Poids de Marc..	6732.........	560,25.....	70,03.......	23,344.....	1,1672
Grana Ponderis offic. Anglorum......	5522.........	460,167...	57,52.......	19,174.....	0,9587
Grana Ponderis offic. Batavorum.......	5578,875	464,873....	58,113.....	19,371.....	0,969
Grana Ponderis offic. Vindobonensis.......	4903,65....	408,637....	51,08.......	17,027.....	0,8513

CATALOGUS MEDICAMINUM

TAM SIMPLICIUM, QUAM PRAEPARATORUM ET COMPOSITORUM, QUAE IN OFFICINIS NECESSARIO PROSTARE DEBENT.

Acet. vini.
Acid. nitric. crud.
succinic. pur.
sulphuric. crud.
Adeps suillus.
Aerugo.
Aloe lucida.
Alumen.
Ammoniacum.
Ammon. carbon. pur.
muriat. crud.
Amygdal. amarae.
dulces.
Arsenicum alb.
Asa foetida.
Baccae junip.
Balsam. copaiv.
peruv. nig.
Baryta sulphuric. nat.
Benzoe.
Bismuthum.
Borax.
Calcaria ust.
Camphora.
Cantharides.
Capit. papaver.
Cardamomi.
Caricae.
Caryophylli.
Cassia cinnam.
Castor. Sibir.
Catechu.
Cera alba.
— flava.
Cerussa.
Cetaceum.
Colocynthis.
Colophonium.
Cort. aurant.
cascarill.
chinae fusc.
chinae reg.
cinnamom.
citri.
mezerei.
quercus.
salicis.
Crocus.
Cubebae.
Elemi.
Euphorbium.
Flor. arnicae.
chamom. Rom.
chamom. vulg.
lavandulae.
millefol.
rhoeados.
rosar. incarn.
sambuci.
verbasci.
Fol. aurantii.
sennae.

Fol. uvae ursi.
Fruct. capsic. ann.
Galbanum.
Gallae.
Glandes querc.
Gum. arabicum.
tragacanthae.
Gutti.
Herb. absinthii.
aconiti.
althaeae.
belladon.
cardui bened.
centaur. min.
chenopod. amb.
conii mac.
digitalis.
farfarae.
fumariae.
hederae terrest.
hyoscyami.
majoranae.
malvae.
marrubii.
meliloti c. flr.
melissae.
menthae crs.
menthae pip.
millefolii.
nicotianae.
origani.
polygal. am. c. rad.
roris marini.
rutae.
sabinae.
salviae.
serpylli.
stramonii.
taraxaci.
thymi.
trifolii.
violae tricol.
Hydrargyrum.
Hydrarg. mur. corr.
oxyd. rub. venal.
Ichthyocolla.
Jodum.
Kali carbon. crud.
nitric. crud.
sulphuric. crud.
Kalium ferro-cyanic.
Kino.
Lap. cancror.
calamin.
Lichen Island.
Lign. guajaci.
quassiae.
sassafras.
Lithargyrum.
Macis.
Magnesia carb.
Magnes. sulph. crud.
Mangan. oxyd. nat.
Manna.
Mastiche.
Mel.
Minium.
Moschus.
Myrrha.
Natrum carb. crud.
sulphur. crud.
Nuces moschat.
vomicae.
Ol. animal. foet.
anisi.
cajeputi.
carvi.
caryophyll.
de Cedro.
crotonis.
lavandulae.
lini.
menthae pip.
olivarum.

Ol. papaveris.
petrae.
ricini.
roris marin.
succini crud.
terebinth.
thymi.
Olibanum.
Opium.
Phosphorus.
Piper nigrum.
Plumb. acet. crud.
Poma aurant. immat.
Rad. althaeae.
angelicae.
armoraciae.
arnicae.
artemisiae.
bardanae.
belladon.
calami.
caryophyllat.
colombo.
filicis.
galangae.
gentianae rub.
graminis.
helenii.
hellebori alb.
hellebori nig.
jalappae.
ipecacuanh.
iridis Flor.
liquirit.
pimpinell. albae.
ratanhae.
rhei.
salep.
saponariae.
sarsaparillae.
scillae.
senegae.
Rad. serpentariae.
taraxaci.
valerian. min.
zingiberis.
Resina guajaci.
pini.
Sanguis Dracon.
Sapo domestic. alb.
Hispanic. alb.
Scammonium.
Secale cornutum.
Sem. anisi stell.
anisi vulg.
carvi.
cinae.
colchici.
coriandri.
cydonior.
foeniculi.
hyoscyami.
lini.
lycopodii.
papav. alb.
phelland. aq.
sabadillae.
sinapis.
stramonii.
Sevum ovillum.
Spongia marin.
Stannum.
Stibium sulphur.
Stipit. dulcamar.
Succinum.
Succus liquirit.
sambuci.
Sulphur depurat.
Tamarindi.
Tartarus crud.
Tartar. dep. venal.
Terebinth. commun.
laricina.
Zincum.

Acet. concent.
rubi Idaei.
saturnin.
scillit.
vini dest.
Acid. benzoic.
muriatic. pur.
nitricum. pur.
phosphoric. pur.
sulphuric. pur.
tartaric.
Aether sulphuric.
Ammon. carb. pyrol.
muriat dep.
Aqua amygd. am. conc.
amygd. am. dil.
calcariae.
chamomill.
cinnamom. simpl.
destillata.
foeniculi.
lauro-cerasi.
menthae pip.
rosarum.
saturnin.
vegeto min.
Argent. nitr. cryst.
nitr. fusum.
Bismuthum subnit. pr.
Calcaria chlorat.
Cerat. resin. pin.
saturni.
Chinin. sulphur.
Crocus metallor.
Cupr. sulph. ammon.
sulphur. pur.
Electuarium e senna.
Elixir. e succ. liquir.
visceral. Hof.
Empl. cantharid.
canthar. perp.
cerussae.

Empl. hydrargyri.
litharg. comp.
litharg. c. res. p.
litharg. simpl.
Extr. absinthii.
aconiti.
aloes.
belladonnae.
cardui bened.
cascarillae.
centaur. min.
chamomillae
chamom. frig. p.
chinae fuscae.
chinae fusc. f. p.
chinae regiae.
chinae reg. f. p.
colocynth. comp.
conii mac.
ferri pomat.
gentianae.
graminis liq.
helenii.
hyoscyami.
hyoscyami e sem.
lactucae viros.
marrubii.
millefolii.
myrrhae.
opii.
papaveris alb.
quassiae.
ratanhae.
rhei.
saponariae.
taraxaci.
trifolii.
valerianae.
valerianae frig. par.
Fel tauri insp.
Ferr. carbonic.
muriatic.

Ferr. oxydat. hydrat.
pulverat.
sulphuric. pur.
Hydrarg. ammon. mur.
depuratum.
oxyd. rub. laev.
oxydul. nig. H.
stibiato sulph.
Kali aceticum.
carbon. crud. dep.
carbon. e tart.
caustic. sicc.
hydrojodic.
nitric. depur.
sulphurat. p. bal.
sulphuric. dep.
tartaric.
Kermes min.
Liniment. ammon.
saponat. camph.
Liq. ammon. acet.
ammon. anis.
ammon. caust.
ammon. pyrol.
ammon. pyrol. succ.
chlori.
Kali carbon. dep.
pyro tartaric.
Magnes. sulph. dep.
usta.
Mel despumat.
rosat.
Mixtur. sulph. acid.
vulnerar. acid.
Morphium acet.
Natrum acetic.
carbon. neut.
carbon. pur. cryst.
sulphur. dep.
Ol. amygdalar.
animal. aeth.
cajeputi rect.
Ol. chamom. coct.
foeniculi.
succini rect.
terebinth. rect.
Oxymel scillit.
simplex
Pasta althaeae.
Plumb. acetic. pur.
Pulpa prunor.
tamarind.
Resina jalappae.
Sapo medicat.
Spec. ad cataplasmat.
ad infus. pect.
resolventes.
Spir. camphorat.
cochlear.
muriat. aeth.
nitric. aeth
saponatus.
sulphuric. aeth.
sulphur. aeth. mart.
vini rectif.
vini rectificatiss.
Stibium oxydat.
sulphur. laev.
Succus liquir. dep.
sambuci dep.
Sulphur aurat. antim.
depur. lot.
praecipit.
Syr. althaeae.
aurantior. cort.
diacodii.
liquirit.
mannae.
rhei.
rubi Idaei.
simplex.
Tartar. boraxat.
depuratus pur.
natronatus.

Tartar. stibiatus.
Tinct. absinthii.
aloes.
amara.
aromatic.
aromat. acid.
asae foetid.
asae foet. ammon.
aurantior. cort.
balsami peruv.
cantharid.
cascarillae.
castorei Sib.
catechu.
chinae comp.
chinae fusc.
cinnamomi.
colchici.
colocynth.
digitalis.
Tinct. ferri acet. aeth.
ferri muriat.
ferri pomat.
guajaci ammon.
guajaci.
myrrhae.
opii croc.
opii Ecc.
pimpinell. a.
rhei aquos.
rhei vinos.
valerian. aeth.
valerian. ammon.
Ung. basilic.
cantharid.
hydrarg. cin. c. t.
hydrarg. cin. s. t.
Vinum. stibiat.
Zincum. oxydat. a.
sulphuric p.

MATERIAE

PHARMACEUTICAE

PARS I^MA.

COMPLECTENS SIMPLICIA.

NB. *Nomina animalium et vegetabilium, auctoris nomine non consignata, ad Systema Linnaei pertinent.*

Doses medicaminum pro adultis, raro pro infantibus sunt definitae.

Acetum vini. *Weinessig.*

Acetum crudum parari potest ex quovis liquore vinoso fermentationi acetosae subjecto. Sit sincerum, gustu et odore gratum et tantae aciditatis, ut Unciae duae sufficiant ad Kali carbonici Drachmam unam perfecte saturandam. Adulteratio aceti, Acido sulphurico effecta, detegitur, si adjecto Plumbo acetico progignitur Plumbum sulphuricum, in Acido nitrico diluto haud solubile. Acrimonia spuria, ope vegetabilium principio acri imbutorum fraudulenter conciliata, post saturationem cum Kali aut Natro gustu facile detegitur.

Vis: refocillans, diaphoretica, sitim leniens, temperans, dyscrasiam sanguinis, quam dicunt septicam, corrigens.

Usus: In morbis acutis inter potum, in Mania et Melancholia. Externe in fomentis, et lavationibus corporis. Clysmata ex aceti et Aquae portione pro casu moderata, contra obstipationem alvi sunt efficacissima, citra tamen inflammationem intestinorum. Vapores ex aceto calefacto expectorationem promovent et tumorum resolutionem.

Acidum muriaticum crudum, s. venale. *Rohe Salzsäure,* (Spiritus Salis. *Salzgeist).*

Praeparatum officinarum chemicarum e natro muriatico, addito acido sulphurico aut ferro sulphurico usto.

Liquor acidus, incolor aut flavescens, saepe fumans, corrosivus, odore peculiari, praeter acidum muriaticum plerumque acidum sulphuricum, interdum Chlorum, acidum sulphurosum et ferrum continens. Pond. specif. = 1,130 — 1,200.

Usus: pharmaceuticus.

Acidum nitricum crudum, s. venale. *Rohe Salpetersäure.* (Spiritus nitri. Aqua fortis.) (*Salpetergeist. Scheidewasser.*)

Praeparatum officinarum chemicarum e Kali nitrico, addito acido sulphurico, aut ferro sulphurico usto.

Liquor acidus, incolor, corrosivus, odore peculiari, praeter acidum nitricum plerumque acidum nitrosum et muriaticum, rarius sulphuricum continens. Pond. specif., = 1,200 — 1,300.

Usus: pharmaceuticus.

Acidum succinicum purum. *Reine Bernsteinsäure.*

Praeparatum officinarum chemicarum, destillatione sicca Succini natum.

Crystalli incolores, inodorae, tabulatae aut prismaticae, saporis aciduli, aestuantes e toto

volatiles, in tribus aquae fervidae et in quatuor Alcohol frigidi partibus solubiles.

Vis: antispastica, diaphoretica.

Dosis: grana tria ad quindecim.

Acidum sulphuricum crudum. *Rohe Schwefelsäure.*

(Oleum Vitrioli. *Vitrioloel.*)

Praeparatum officinarum chemicarum, combustione Sulphuris cum Kali nitrico, nec non destillatione sicca ferri sulphurici oriundum.

Liquor acidus, maxime corrosivus, incolor aut fuscescens, e ferro sulphurico paratus fumans, cum aqua incalescens, ex acido sulphurico et aqua constans, subinde plumbum aut ferrum sulphuricum aliaque heterogenea continens.

Sit ponderis specifici = 1,840 — 1,850.

Usus: pharmaceuticus.

Adeps suillus. *Schweineschmalz.*

Sus Scrofa.

Pinguedo abdominalis recens, odoris plane expers.

Vis: emolliens.

Usus: in unguentis.

Aerugo. *Grünspan.*

Praeparatum officinarum chemicarum e cupro vinaceis fermentantibus aut vaporibus aceti corroso.

Cuprum aceticum mixtum cum hydrate

cupri oxydati. Massa compacta, difficulter rumpenda, e viridi coerulescens.

Vis: corrodens, segnia irritans, depurans.

Usus: potissimum externus in unguentis et collyriis.

Antidotum: Saccharum? Kalina, Albumen.

Aloë lucida. *Glänzende Aloe.*

Aloë spicata et Aloë Socotrina. Frutices Africae australis. Colligitur etiam ex Aloë vulgari in India occidentali et orientali.

Succus foliorum inspissatus, e croceo fuscus, subdiaphanus, splendens, friabilis, saporis peramari nauseosi, odoris submyrrhini; in Spiritu Vini ex toto, in Aqua quoad maximam partem solubilis.

Vis: purgans, calefaciens bilis secretionem ciens, anthelmintica?

Usus: In segnitie alvi, ab atonia intestinorum, inprimis crassorum exorta, moderatus usus saepissime profuit, digestionem simul adjuvans. Externe in Carie.

Dosis: granum unum vel plura.

Alumen. *Alaun,*

Sal duplicatum venale, in propriis officinis e mineris aluminis paratum, constans ex alumina, kali, acido sulphurico et magna copia aquae, sapore e subdulci austero praeditum, solubile in sedecim aquae partibus.

Purum sit omnis coloris expers, aqua solutum neque addita tinctura gallarum atro-purpureo aut violaceo colore turbetur, quod ferri

praesentiam proderet, nec liquore ammonii caustici coeruleum evadat, quo cupri admixtio declararetur.

Vis: adstringens, humores condensans, tonica.

Usus: in diarrhoeis, atque aliis se.- et excretionibus enormibus a debilitate pendentibus, v. c. in haemorrhagia passiva, seminis involuntaria emissione, in colica saturnina cum Opio versus finem utiliter datur.

Dosis: grana quinque ad Scrupulum unum.

Ambra grisea. *Grauer Ambra.*

Materies solida, ex nigro cinerea, maculis et striis variegata, opaca, levis, odoris pergrati, leni igne instar cerae liquescens ac deflagrans, in Aethere et Spiritu Vini ad maximam partem solubilis. Oceano ad littora Indiae orientalis, Aethiopiae et Americae meridionalis in glebis diversae magnitudinis innatat, plerumque rostris Sepiae octopodiae referta; unde conjicitur, esse massam in intestinis Physeteris macrocephali secretam.

Vis: nervina, analeptica et diaphoretica.

Usus: in morbis nervosis, paralysi et peculiariter in anaesthesia.

Dosis: Grana quatuor ad Scrupulum.

Ammoniacum, vulgo Gummi ammoniacum. *Ammoniak-Gummi.*

Ferula Ferulago? (Sprengel.)

Succus gummeo-resinosus, in grana intus albida plerumque inter se conglutinata con-

densatus, tenax, digitis agitatus mollescens, odoris gravis et saporis amaro-nauseosi subacris. Advehitur ex Abyssinia, Libya, Aegypto meridionali, et praesertim e deserto Barca.

Vis: resolvens, deobstruens, irritans, expectorans, maturans.

Usus: in morbis pectoris chronicis et viscerum obstructionibus laudatur. Externe cum aceto scillitico subactum, in resolvendis tumoribus frigidis utile fuit.

Dosis: Scrupulus dimidius ad drachmam dimidiam.

Ammonium carbonicum purum.
Reines koklensaures Ammonium.
(Alcali volatile, *flüchtiges Alcali.*)

Praeparatum officinarum chemicarum ex ammonio muriatico sublimatione cum creta.

Sal siccum perfecte album, crustis plus minus crassis texturae fibrosae proveniens, in igne plane avolans, nares faucesque inter respirandum valde irritans, in duabus aquae partibus solubilis.

Solutio ejusdem neque tinctura gallarum, neque aqua hydrosulphurata turbetur, et acido nitrico puro satiata nec argentum nitricum, nec baryta nitrica turbationem excitet.

Vis: nervina, systema sanguiferum intime incitans, diaphoretica, absorbens.

Usus: in febribus nervosis, stadio morborum paralytico, paralysi ipsa, rheumatismo chronico.

Dosis: grana tria ad decem.

Ammonium muriaticum crudum, seu Sal ammoniacum crudum. *Roher Salmiak.*

Paratur in officinis chemicis ex partibus constitutivis, sibi invicem vario modo junctis.

Sal neutrale acido muriatico et ammonio compositum, vel in Massis proveniens solidis, diaphanis, sublimatione ortis, vel ut singulae crystalli. Solummodo eo utendum est ad parandum Ammonium muriaticum depuratum, quod sublimatione obtinetur.

Vis: refrigerans, expectorans et diaphoretica, ventrum non laxat.

Usus: in febribus acutis et intermittentibus, in colluvie pituitosa primarum viarum ac pulmonum. Externe in tumoribus frigidis.

Dosis: pulveris. Scrupulus dimidius ad integrum.

Amygdalae amarae. *Bittere Mandeln.*

Amygdalus communis Linn. Variet.

Arbor Orientis et Africae borealis, in Europa meridionali culta.

Semina oblonga, compressa, extus e fusco flavescentia, intus alba, oleifera, Sapore amaro, acido hydrocyanico praegnantia.

Vis: cuticulae nucleum obvestientis narcotica, toxica ex acido hydrocyanico ipsi insito.

Usus: in febribus intermittentibus? ad

parandam aquam amygdalarum amararum.

Amygdalae dulces. *Süsse Mandeln.*

Amygdalus communis Linn.

Semina oleifera amygdali communis, sapore dulci et grato praedita.

Vis: nutriens, involvens, demulcens.
Usus: vid. Emulsio amygdalarum.

Amylum. *Kraftmehl.*

Triticum hybernum, et Triticum turgidum. Plantae cereales biennes cultae.

Pulvis subtilissimus seminum, post elutionem principii glutinosi et sacharini per aquam frigidam, subsidens, albus, insipidus, aquam frigidam respuens, cum ea coctus, pultem viscidam sistens.

Vis: demulcens, involvens.
Usus: in diarrhoeis ex intestinorum erethismo Clysmata egregie conducunt amylo confecta.

Amylum Marantae seu Arrowroot. *Pfeilwurzelmehl.*

Maranta arundinacea Linn.
Planta Indiae occidentalis imprimis Insulae Jamaicae.

Pulvis persubtilis, albus amyli, aqua fervida solubilis eaque in gelatinam inodoram coëuns.

Eodem modo in regionibus natalibus e tuberibus radicum, ac apud nos amylum e Solano tuberoso protrahitur.

Vis: nutriens, involvens, demulcens.
Usus: egregium praebet alimentum infantulis ablactatis, vel diuturno morbo exhaustis.

Argentum. *Silber.*

Metallum album, ductile, persplendidum, via sicca Oxygenium non admittens, ponderis specifici 10,51: In acido nitrico solutum, addito acido muriatico vel Sale muriatico sedimentum dat album caseosum, luce nigrescens, in liquore ammonii caustici facillime solubile.

Usus: pharmaceuticus.

Arsenicum album. *Weisser Arsenic.*

(Acidum arsenicosum. Arsenichte Säure.)

Arsenicum oxydatum, e mineris Arsenici, Cobalti et aliis sublimando parandum, refert massam scoriformem, compactam albam, recens subpellucidam, temporis lapsu opacam, in Aqua solubilem. Prunis inspersum fumo albo et odore alliaceo avolat. Efficacissimum exhibet venenum et inde caute servandum est.

Vis: summe irritans, corrodens, deleteria.
Usus: in febribus intermittentibus, herpete; externe in cancro, inprimis faciei.
Dosis: semper dandum est in Solutione et methodo quam Fowler aliique sec-

tati sunt, propinantes adulto sedecimam partem grani unius, ter die.

Asa foetida. *Stinkender Asand.*

Ferula Asa foetida. Planta perennis Persiae.

Succus gummeo-resinosus, lactis instar e radice sauciata effluens, contactu aëris in grumos vel flavescentes, vel e fusco roseos, subdiaphanos, tenaces lentescens; saporis ex acri amaricantis, nidoris alliacei nauseosi.

Vis: antispasmodica, antihysterica, secretionibus alvinis favens, inde resolvens.

Usus: In hysteria, hypochondria, Cardialgia. Asthmate, anxietate nervosa. Externe in carie, in clysmatibus contra Colicam et insultus hystericos.

Dosis: Grana octo, Scrupulus dimidius et ultra.

Asphaltum s. Bitumen judaicum. *Asphalt. Judenpech.*

Bitumen solidum, fusco atrum, friabile, fractura splendens, admota flamma post liquationem odore bituminoso deflagrans. Tum mari mortuo et aliis quibusdam lacubus Asiae et Europae innatans, tum in fodinis Galliae aliarumque Europae provinciarum occurrit. Adulteratur subinde pice et colophonio, quod facile detegitur digestione cum Alcohol, quo asphaltum fere non solvitur.

Aurum. *Gold.*

Metallum flavum, valde ductile, eximii ni-

loris, via sicca oxygenio non nubile, solummodo solubile in liquore Chlori et acido nitrico muriatico, e quibus stanni solutione praecipitatur purpureo colore. Pond specif.: 19,40.

Usus: *pharmaceuticus*.

Baccae Juniperi. *Wacholder-Beeren.*

Juniperus communis. Arbor aut frutex Europae borealis.

Fructus baccati nigri, pulpa subamara dulci, oleo aethereo graveolente sociata, repleti.

Vis: *leniter calefaciens, incidens, diuretica, stomachia.*
Usus: *in hydrope.*

Baccae Lauri. *Lorbeeren.*

Laurus nobilis. Arbor Asiae et Europae meridionalis.

Fructus subglobosi nigricantes, oleosi, odoris aromatici subingrati.

Vis: *nervina, excitans.*
Usus: *Oleum ex unguinoso et aethereo mixtum infricatur ut nervinum, insuperque egregie inservit ad dissipandos dolores post partum, nec non ad acuenda unguenta contra scabiem.*

Baccae Spinae cervinae. *Kreuzdornbeeren.*

Rhamus catharticus Linn. Frutex in Europa haud infrequens.

Baccae recentes globosae, magnitudine pisi, nigricantes, splendentes, stigmate prominente in apice, pulpam continentes atroviridem quatuor inclusis seminibus. Praeditae sunt odore ingrato et sapore nauseoso-amaro subacri. Maturescunt mense Septembri, quo et colligendae sunt.

Vis: *purgans.*
Usus: *vid. Syrupus.*

Balsamum Copaivae. *Copaiva-Balsam.*

Liquor stillans e vulneratis truncis vel ramulis variarum Copaiferarum, arborum Americae meridionalis, imprimis Brasiliae.

Balsamum limpidum nativum, flavescens, oleo unguinoso paululo minus liquidum, odoris fragrantis, saporis amaricantis subacris. Sit genuinum, nec Terebinthina, nec oleo unguinoso adulteratum. Prior balsamo ferro candenti insperso, odore proprio sese prodit, alterum fundum petit dum Balsami pars in octo partibus Spiritus vini rectificatissimi solvitur.

Vis: *Calefaciens, balsamica, diuretica adeo ut nimia dosi mictum cruentum inducat, purgans, stomacho subinde molesta, purpuram urticatam nonnunquam procreans.*

Usus: *in gonorrhoea chronica, et retentione urinae ex inertia systematis uropoiëtici, in tussi chronica subinde phthisin mentiente.*

Dosis: guttulae decem ad viginti et plures ter die.

Balsamum Peruvianum seu Indicum nigrum. *Schwarzer Peruanischer Balsam.*

Obtinetur e ramulis Myroxyli peruiferi (seu Myrospermi frutescentis Jaeg.) arboris Americae meridionalis praesertim in Regno Granatensi novo frequentis.

Liquor oleosus propriae indolis, spisssiusculus, ex nigro rubens, saporis acris aromatici, odoris suavis, vanillae affinis, acidum benzoicum continens, solubilis quavis Alcohol absoluti parte, sex vero partibus Spiritus vini rectificatissimi. Oleum unguinosum quo forte adultera tum est, quod facile tamen fieri non potest propter difficile amborum connubium, non solvitur Spiritu vini, admixtum vero Balsamum Copaiva odore dignoscitur, cum acidum benzoicum Balsamo Peruviano proprium, antea ammonio neutralisatum fuerit.

Usus: externus in vulneribus, recentibus minus convenit, ad ulcera vetusta; internus in blennorrhea pulmonum, immo phthisi pulmonum purulenta myrrha et Opio junctus.

Balsamum Peruvianum album. *Weisser Peruanischer Balsam.*

Ex arbore sponte stillans rarissimum est.

Baryta sulphurica nativa. *Schwerspath.*

Minerale in metallifodinis Hercyniae, Saxoniae aliisque obvium.

Minerale ponderosum, album, tecturae lamelloso-cristallisatae, e Baryta et acido sulphurico compositum. Usui pharmaceutico solummodo inserviant frustula alba, neque pyrite insita, nec aliis substantiis metallicis inquinata.

Usus: *pharmaceuticus pro paranda Baryta muriatica.*

Benzoë, s. Asa dulcis. *Benzoë.*

Succus aëre induratus Styracis Benzoës Dryanderi, arboris Indiae orientalis, praesertim in Sumatra frequentis.

Resina e luteo fusca, frustulis albis immixtis variegata, friabilis, nitens, saporis subacris, et odoris pergrati, dives acido benzoico. In Spiritus vini rectificatissimi tribus partibus fere ex toto, in aethere sulphurico pro maxima parte solvitur.

Vis: *in acido benzoico praesertim residet. vid. suo loco.*

Usus: *pharmaceuticus et in suffimentis.*

Bismuthum seu Marcasita. *Wismuth.*

Metallum fragillissimum, ex albo subrubicundum, fractura lamellosa, leni igne priusquam candescat liquescens, fortiori et aëri patens in fumum flavum abiens, aere vero excluso immutatum sese sublimans. Acido nitrico solutum aqua addita ut pulvis alba praecipitatur. Pond. specif. 9,82 — 9,90.

Usus: *pharmaceuticus.*

Boletus Laricis seu Agaricum. *Lerchenschwamm.*

Boletus Laricis Jacq. In truncis senescentibus Pinus Laricis Linn. Europae australis obvius.

Venalis non nisi siccatus ac decorticatus hic Boletus occurrit, substantiam tunc exhibens cineream, levem, fragilem, inodoram, saporis dulci-amari nauseosi.

Vis: cathartica.
Usus: Hippiatrorum.

Bolus Armena. *Armenischer Bolus.*

Minerale non solum in Armenia, etiam in Germania, Gallia aliisque regionibus obvium.

Terra cohaerens, friabilis, tactu pinguis, e luteo rubra, ex argilla et ferro oxydato mixta.

Vis: adstringens.

Borax. *Borax.*

Sal in officinis chemicis depuratione ac iterata crystallisatione Boracis crudi, (Tincal) salis nativi Asiae mediae paratum, ex acido boracico et natro constans.

Sal in frustis crystallinis albis duris, in aëre paululum fatiscentibus, sapore subdulci lixivioso, in aquae duodecim partibus solubile, leniore igne in massam albam opacam ac fungosam tumescens, fortiore igne vitrescens. Acidis non effervescat, eiusque Solutio aquosa

addita solutione Kali carbonici non turbetur.

Vis: mundificans, diuretica, emmenagoga.
Usus: in aphthis externe cum melle rosato.

Cacao. *Cacaobohnen.*

Theobroma Cacao. Arbor in Americae regionibus calidioribus culta.

Semina oblongo ovata, plana, e fusco nigricantia, Oleo unguinoso miti turgida, saporis subamari grati.

Vis: nutriens, involvens.
Usus: pro Chocolata, Oleo et Sapone.

Calcaria seu Calx viva. *Gebrannter oder lebendiger Kalk.*

Praeparatur in fornacibus propriis e lapide calcario nativo (Calce cruda), calce et acido carbonico conflato, ustione.

Acidis superinfusa dum solvitur non effervescat, aqua vero intumescat et exaestuans fatiscat in pulverem album.

Vis: antacida, absorbens.

Camphora. *Kampfer.*

Laurus Camphora Linn. Arbor in Japania frequens, ex cuius ramulis et foliis dissectis, destillatione cum aqua e vesica destillatoria ferrea, tecta cum alembico Juncis impleto instituta, Camphora, cruda dicta obtinetur, quae in Eu-

ropa addita argilla vel creta, iterata sublimatione depuratur.

Substantia peculiaris, volatilis, nitida, glaciei instar pellucida, tactu pinguida, odoris proprii penetrantis, saporis acris aromatici, leni igne olei instar fluens et e toto avolans, accensu facilis et deflagrans flamma perlucida, multum fuliginis spargente, in aqua parum, sed in Spiritu vini, nec non in aetheribus et oleis tum unguinosis, tum aethereis, ex toto solubilis.

Vis: valde incitans, nervina, diaphoretica; ulteriori effectu, aut praegrandi dosi debilitans, antaphrodisiaca.

Usus: in Typho, Rheumatismo, Mania asthenica, aliisque morbis nervosis; in stadio ultimo paralytico pneumoniae ac pleuritidis; in convulsionibus partui adpropinquantium et parturientium praegressa venaesectione; contra dysuriam ex usu cantharidum.

Dosis: granum unum, ad scrupulum dimidium, et ultra in Mania.

Cantharides. *Spanische Fliegen.*

Meloë vesicatorius Linn. s. *Lytta vesicatoria* Fabricii.

Insecta coleoptera oblonga, colore ex viridi aureo splendentia, antennis nigris filiformibus, odoris ingrati, principio caustico corrodente praedita, mense Junio et Julio, dum Fraxinum, Syringam et Ligustrum gregarie depascunt, colligenda et leniter siccanda.

Vis: *irritans, corrodens, dysuretica.*
Usus: *interne ad irritandum systema uropoiëticum iners, et absorbentia vasa; in hydrope, incontinentia urinae, aut eius retentione paralytica, in gonorrhoea chronica, et hydrophobia? externe ad urendam cutem, derivandi scopo.*
Dosis: *grani unius pars quarta ad dimidium et ultra.*

Capita Papaveris. *Mohnköpfe.*

Papaver somniferum Linn. Planta orientalis apud nos culta.

Capsulae immaturae, nucis juglandis magnitudine et ultra, cum seminibus siccatae. Ne ultra annum serventur.

Cardamomum minus. *Kleine Cardamomen.*

Alpinia Cardamomum Roxb. Planta perennis Indiae Orientalis.

Semina parva subnigra, angulosa, sapore intense aromatico, odore fragrante camphoraceo, pericarpio triquetro fragili, utrinque acuminato, e luteo subfusco, longitudine semipollicari, inclusa.

Vis: *stomachica, carminativa.*
Usus: *in laesa digestione et inflatione ventris.*

Caricae s. Ficus passae. *Feigen.*

Ficus Carica. Arbor Europae meridionalis et Orientis.

Receptacula succulenta, pulposa, principio saccharino et mucilaginoso imbuta, semina includentia.

Vis: nutriens, demulcens, emolliens.
Usus: in tussi catarrhali, angina tonsillari, ad maturandos abscessus gingivarum.

Caryophylli. *Gewürznelken.*

Caryophillus aromaticus Linn. seu Eugenia caryophillata Thunb. Arbor Indiae orientalis, in Insulis Moluccis frequens.

Germina cum calycibus quatuordentatis, e fusco nigricantia, claviculis forma similia, sapore acri peraromatico et odore pergrato.

Vis: calefaciens, nervina, sialagoga.
Usus: in roborando ventriculo, ad dentes dolentes.
Dosis: pulveris grana quinque ad decem.

Cassia cinnamomea. *Zimmet-Cassia.*

Laurus Cassia Linn. Arbor Indiae orientalis.

Cortex internus ramorum, odore et sapore aromatico, ad Cinnamomum acutum quidem proxime accedens, sed colore intensiore, crassitie et sapore acriore distinguendus.

Vires et usus Cinnamomi Zeylonensis.

Castoreum. *Bibergeil.*

Castor Fiber, Animal accolens flumina Europae et Asiae borealis.

Substantia animalis, recens flava molliuscula, exsiccata compacta, e luteo fusca, friabilis, odore proprio nauseoso, sapore subacri amaricante, in propriis folliculis inter anum et genitalia positis secreta. Castoreum Sibiricum, cui adnumerantur Polonicum, Borussicum et Germanicum, in folliculis magnitudine ovi gallinacei obvium, omni respectu antecellit Canadense seu Anglicum salutatum, et semper inde dispensari debet nisi expressis verbis Canadense expostulatur.

Vis: analeptica, antispasmodica.
Usus: in affectionibus hystericis.
Dosis: grana quinque ad decem.

Castoreum Canadense seu Anglicum. *Canadisches oder Englisches Bibergeil.*

Substantia animalis Castoreo Sibirico similis, atque ab eodem animale lacus et flumina interioris Canadae accolente proveniens, eo autem discernitur, quod exsiccatum sit magis fuscum et multo debilioris odoris; nec non oblongiore et minore forma folliculorum, quibus continetur. Saepissime etiam alia species venalis occurrit in folliculis factitiis, massam resinosam constituentibus membranis obvolutam, a quibus bene cavendum est.

Catechu vulgo Terra Japonica. *Catechu.*

Extractum aquosum siccum in India orientali ex ligno Acaciae Catechu Wildenowii, aliarumque Acaciae specierum paratum.

Frusta compacta, fragilia, e nigro et luteo fusca, fractura nitentia, inodora, saporis valde adstringentis, in Spiritu vini rectificato et in aqua calida aeque solubilia, pro maxima parte e principio adstringente constantia. Ex aliquo tempore frequenter venatis offertur quaedam Species frustulis cubicis, magnitudine pollicis, lucidiore colore, fractura magis terrea, reliqua conditione vero antecedenti aequalis, secundum Georgium Finlaysonium coctione Singapori parata, ex foliis Naucleae Gambir et N. aculeatae.

Vis: adstringens.

Usus: in variis se- et excretionibus nimiis a laxitate solidorum.

Dosis: Grana decem ad viginti.

Cera flava. *Gelbes Wachs.*

Apis mellifica. Insectum hymenopterum.

Substantia vegetabilis propriae indolis, oleosa, indurata, flava, tenax, e favis liquata, saporis mitis, odoris haud ingrati.

Cera alba. *Weisses Wachs.* Cera per apricationem, sub frequente aquae adspersione, albata.

Vis: subbalsamica, involvens, conglutinans.

Usus: emulsionis in dysenteria? electuarii (sanantis Fulleri) in tussi? externe in unguentis et emplastris, et in forma pileolarum pro defendendis papillis mammarum vulneratis.

Cerasa acida. *Saure Kirschen.*

Prunus Cerasus; varietas, quae vernacula schwarze saure Kirschen audit. *Arbor in pomariis frequentissima.*

Drupae nigrae, grata aciditate praeditae.

Cerusa alba. Plumbum carbonicum. *Bleiweiss.*

Paratur in officinis propriis e plumbo vaporibus aceti corroso, aut e plumbo acetico basico ope acidi carbonici.

Sit alba, ponderosa, cohaerens, fragilis, tactu digitos inquinans, in carbone candente adhibito tubulo ferruminatoria omnis reducatur in plumbum metallicum, penitus solvatur in liquore kali caustici, et in acido nitrico diluto, neutralisata vero cum acido hydrochlorico, et evaporata deinde ad siccum, nulla ratione in Alcohol quo digeritur, solubilis sit.

Vis: exsiccans, sensibilitatem minuens, sanans.

Usus: externus in emplastris et unguentis. Pessimum cosmeticum, maleque inspergitur excoriatae cuti infantum.

Cetaceum vulgo Spermaceti. *Wallrath.*

E Physeterum, praesertim Macrocephali Linn. cavitatibus peculiaribus, cranio insitis, et canalibus subcutaneis reliqui corporis, eliquando et depurando obtinetur.

Substantia sebacea, duriuscula, candida, subpellucida, lamellosa, tactu lubrica, sapore blando, in viginti octo partibus Spiritus vini rectificatissimi bullientis, ut in Aethere, et oleis aethereis solubilis.

Usus: in unguentis et emplastris lenientibus, defensivis; interne in colica spastica?

Cinnabaris. *Zinnober.*

Praeparatum officinarum chemicarum, sulphure et Hydrargyro compositum, sublimatione natum.

Compacta, radiosa, fragilis, colore plumbeo tritura valde rubro, ponderosa, in igne plane volatilis. Non nisi compacta ematur, minime pulverata.

Usus: rarus pro fumigatione in lue venerea.

Coccionella. *Kochenille.*

Foeminae siccatae Cocci Cacti Linn. insecti hemipteri in Ditione Mexicana Cactum coccelliniferam inhabitantis.

Granula parva, transversim rugosa, extus e rubro nigricantia, pruina alba adspersa, trita purpurea, principio infectorio praedivitia.

Usus: tinctorum.

Colocynthis. *Coloquinthen.*

Cucumis Colocynthis. Planta annua orientalis.

Fructus a cortice exteriori mundatus, pomi magnitudinis et figurae, semina albicantia in substantia alba, levi, spongiosa, amarissima includens.

Vis: purgans, drastica, antiparalytica.
Usus: in hydrope; paralysi.
Dosis: Octava pars grani unius et ultra.

Colophonium. *Geigenharz.*

Pinus sylvestris. Arbor Europae borealis frequentissima.

Resina diaphana, super ignem liquata consistentiam friabilem, et colorem ex succineo aurantiacum nacta.
Vis: conglutinans, stimulans.
Usus: externus, in unguentis, ad sistendas haemorrhagias vulnerum, ad tumores albos genu.

Conchae. *Austerschalen.*

Ostrea edulis Linn. Maris Germanici molluscum.

Testae, ab omni sorde depuratae.
Vis: absorbens, antacida.
Usus: in Soda.

Cornu Cervi. *Hirschhorn.*

Cervus Elaphus.

Cornua solida, ramosa, ab aliorum ruminantium cornibus facile distinguenda.
Vis: nutriens, restaurans, involvens, demulcens.

Usus: in tabe, et reconvalescentia a diuturnis morbis gelatinae forma, et in potu.

Cortex Angusturae. *Angusturarinde.*

Bonplandia trifoliata Wildenowii, vel Angustura Cuspara Roemeri et Schultesii. Arbor sylvarum Americae meridionalis, Orinoco vicinarum.

Cortex externe e fusco ochroleucus, interne ex luteo subfuscus, saporis subaromatici, subacris, intense amari. Cavendum est, ne substituatur cortex spurius, ex India occidentali allatus, summe deleterius, externe cinereus, verruculis albis et maculis rubiginosis notatus, interne subniger, saporis intense amari nauseosi, cuius decoctum solutione ferri sulphurici nigri colore tingitur.

Vis: roborans, nervina.

Usus: in febribus nervosis, in cachexia cum diarrhoeis e laxitate. In intermittentibus febribus spem fefellit.

Dosis: Scrupulus unus ad drachmam dimidiam.

Cortices Aurantiorum. *Pomeranzenschalen.*

Citrus Aurantium. Arbor Orientis et Europae meridionalis, nec non Indiae occidentalis, et Americae meridionalis, apud nos in hybernaculis culta.

Cortex fructus maturi, amaritie non ingrata, odore suavi.

Vis: nervina, stomachica.

Usus: in Tincturis analepticis, stomacho dicatis.

Cortices Aurantiorum var. *Curassaviensium*, tenuitate et amaritie in Europa nascentes antecellunt, eoque magis stomacho conducunt.

Cortex Cascarillae. *Cascarillrinde.*

Croton Eluteria. Frutex Jamaicae, aliarumque regionum Americes calidioris.

Cortex extus cinereus, subtus ex fusco ferrugineus, fragilis et in fractura nitens, saporis acris amari, prunis injectus gratum, quasi moschatum spargens odorem.

Vis: tonica, stomachica.

Usus: praecipuus in diarrhoeis, etiam in febribus intermittentibus laudatur; in stadio colliquativo Phthiseos.

Dosis: grana sedecim ad viginti pulveris.

Cortex Chinae fuscus seu officinalis. *Braune Chinarinde.*
Cortex Peruvianus.

China Condaminea Humboldti? Arbor Peruviae indigena in jugis alpinis crescens.

Cortex utrinque convolutus, canales effingens diametro, ratione pennae anserinae ad eam digiti minoris diversos, lineam dimidiam crassus, e fusco griseus, epidermide alba pulverulenta aut furfuracea, rimis frequentibus transversalibus haud profundis, intus strato

extimo tenui ferrugineo, sub quo annulus nigricans nitidiusculus, medio aequabili fusco-rubro, intimo subfibroso paululum dilutioris coloris. Praeferatur Cortex de Guanuco seu Huanuco dictus.

Vis: antifebrilis, adstringens, penitiore et constantiore stimulo corroborans, dyscrasiae humorum resistens.

Usus: in febribus intermittentibus variis tamen adjuvantibus saepe egens, itidem in vera prostratione virium vitalium, et quam inducit decompositione humorum, et gangraena, in decubitu; versus finem febrium acutarum, erysipelatis neonatorum et communis; in variis profluviis ex atonia.

Dosis: Drachma dimidia ad integram et ultra subinde in febribus intermittentibus, adiuvante vino et aromate.

Cortex Chinae regius. *Koenigsrinde.*

Cinchona angustifolia Ruiz seu Cinchona lancifolia Mutis? *Arbor in jugis alpinis Americae meridionalis spontanea crescens.*

Cortex frustis planiusculis aut convexis obveniens, plerumque non convolutis, lineas duas ad quatuor crassus, epidermide farinosa, alba, hinc inde secedente, rimis transversalibus frequentibus, exteriore corticis strato crassiusculo, extus fusco intus ferrugineo, interiore crassiore, fibroso, rubro, introrsum flavescente.

Vis: fusco amarior, magis febrifuga et tonica.
Usus: uti Chinae fuscae.
Dosis: Scrupulus unus ad drachmas duas immo semunciam in febre intermittente.

Cortex Chinae ruber. *Rothe Chinarinde.*

Cinchona angustifolia Ruiz? *Arbor Americae meridionalis.*

Cortex antecedenti simillimus, nec nisi colore rubro strati interioris diversus, ita ut a Varietate desumptus videatur.

Vis: eadem caeterorum Chinae Corticum, praestantior fortasse fusco si genuinus nec, quod saepe accidit, mixtus cum alienis corticibus occurrit.

Infusum aquosum corticum Chinae solutione tartari stibiata valde turbetur, et solutione ferri muriatici oxydulati sicci colore smaragdino tingatur.

Cortex Cinnamomi acuti s. Ceylonensis. *Zimmetrinde.*

Laurus Cinnamomum. Arbor Ceylonensis.

Cortex interior arboris adportatur in cannulas longas convoluta, odoris peculiaris fragrantissimi, saporis suavissimi, et coloris ex rubicundo flavi.

Vis: analeptica, stomachica.
Usus: ut aroma et corrigens intrat alia remedia.
Dosis: Grana quinque et ultra.

Cortex Citri. *Citronenschalen.*

Citrus medica Linn. Arbor Europae australis indigena.

Cortex exterior recens, fragrans, saporis aromatici; corticum siccatorum sapor subamarus, calidus.

Cortex Geoffreae Surinamensis. *Surinamische Geoffreenrinde.*

Geoffrea Surinamensis. Arbor Americae meridionalis frequens.

Cortex crassus fibrosus, externe, ubi Lichenibus cinereis obtegitur, ex fusco nigricans, interne subfuscus, odoris, si recens est, nauseoso ingrati, saporis amaricantis austeri.

Vis: anthelmintica, nauseosa, purgans.
Usus: decocti contra Vermes intestinales.

Cortex radicum Granatorum. *Rinde der Granatwurzel.*

Punica Granatum Linn. Arbor orientalis, nec non Europae meridionalis, praesertim in Hispania frequens.

Cortex principium adstringens continens, minutis occurrit frustulis, extus cinereis, intus flavis. Aqua adspersa et charta pura fricata maculas huic impertiunt flavas, ope solutionis ferri sulphurici in coeruleas mutabiles.

Vis: adstringens, nauseans, emetica.
Usus: contra taeniam.

Dosis: *pulveris scrupulus unus ad duos omni semihorio quamdiu bene fertur, usque dum taenia ejiciatur. Decocti ex unciis duabus corticis cum aquae unciis novemdecim ad remanentiam dimidii parati, uncia una omni semihorio.*

Cortex Mezerei. *Seidelbastrinde.*

Daphne Mezerum et Daphne Laureola. Frutices in Gallia, Hispania et Germania meridionali frequentes.

Cortex tenuis, striatus, subluteus, epidermide ex viridi fusca superinductus, peracris, externe applicatus cutim erodens.

Vis: *stimulans, acris, corrodens.*
Usus: *in lue venerea inveterata, scrophulis, cutis variis efflorescentiis; externe pro exutorio efficiendo.*
Dosis: *Decocti ex uncia dimidia corticis, cum Aquae Libris sex, ad Colaturam Librarum quatuor, quotidie Libra dimidia propinatur.*

Cortex Pruni Padi. *Traubenkirschenrinde.*

Prunus Padus. Arbor silvatica indigena.

Cortex ramorum recens, amaro-aromaticus, acido hydrocyanico abundans.

Vis: *sedativa, antispastica, antirheumatica.*
Usus: *in Rheumatismo, variisque affectionibus dolentibus spasticis.*

Cortex

Cortex Quercus. *Eichenrinde.*

Quercus Robur. Arbor Germaniae.

Cortex ramulorum amarus, adstringens.

Vis: tonica, adstringens.

Usus: in febribus intermittentibus, diarhoeis, fluore albo. Externe in balneis.

Dosis: Scrupulus unus ad Drachmam dimidiam.

Cortex Salicis laureae. *Lorbeerweidenrinde.*

Salix pentandra. Arbor in Germania, praesertim boreali frequens.

Cortex tenuis, flexilis, extrorsum fuscus, sapore adstringente amaro haud ingrato. Non multum ab hoc distat Cortex *Salicis fragilis* ubivis obviae. Colligatur vere.

Vis: roborans, adstringens.

Usus: in febribus intermittentibus, aliisque morbis cortici Chinae subinde substitui potest.

Dosis: Drachma dimidia.

Cortex Simarubae. *Simarubarinde.*

Quassia Simaruba. Arbor Americana, in Guiana frequentissima.

Cortex radicis coriaceus, fibrosus, levis, ex albo lutescens, peramarus, odoris nullius.

Vis: roborans, stomachica.

Usus: in diarrhoeis, dysenteria chronica, fluore albo.

Dosis: decoquitur uncia cum Aqua ad Colaturam Librae unius; dantur omni bihorio Cochlearia duo.

Cortex Ulmi interior. *Innere Ulmenrinde.*

Ulmus campestris et effusa Wildenowii. Arbores Germaniae.

Cortex interior, e luteo subfuscus, levis, tenuis, tenax, amaricans, e ramis non nimis tenuibus. Colligendus vere.

Vis: irritans, diuretica?
Usus: in exanthematibus variis chronicis, speciatim in Lepra Ichtyasi laudatur.
Dosis: Uncia una corticis coquitur cum Aquae Unciis sedecim ad Colaturam dimidii, pro die.
Nimis coctus nauseam excitat.

Crocus. *Safran.*

Crocus sativus officinalis. Planta perennis Europae australis et Orientis, in iisdem regionibus culta.

Stigmata e floribus resecta, ex aureo lutea, in tres lacinias fissa, sapore amariusculo aromatico, odore fragrante narcotico, et principio tinctorio, in Spiritu Vini et Aqua aeque solubili, ditissima.

Vis: nervina antispastica, calefaciens.
Usus: in amenorrhoea, asthmate; externe dolores inflammatorios sopit, abscessus maturat.

Dosis: Scrupulus dimidius, sed abstineant ab eo plethorici.

Cubebae. *Cubeben.*

Piper Cubeba, s. *Piper caudatum* Bergii. *Frutex Indiae Orientalis.*

Fructus pedunculati, globosi, coloris cinerei, magnitudine et forma piperis, odoris fragrantis, saporis acris, aromatici.

Vis: nervina, stomachica.

Usus: in dyspepsia et vertigine gastrica; Gonorrhoea.

Dosis: Grana decem ad viginti.

Cuprum. *Kupfer.*

Metallum valde ductile, rufum, pernitidum, pond. spec. 8, 87.

Solutum liquore Kalii ferro-hydrocyanici fusco ruber praecipitatur, coeruleum liquore Ammonii caustici, quo abundante denuo solvitur.

Vis: in statu metallico nulla in corpus animalium, sed acidis in intestinis obvium irritans corrodens evadit. Antidotum Saccharum? Albumen?

Elemi. *Elemiharz.*

Amyris Zeilanica. Arbor Indiae orientalis.

Amyris Elemifera. Arbor Americae meridionalis.

Resina a trunco arboris vulnerato liquida stillans, mox indurescens, ex albo lutea, pinguis, subpellucida, digitis agitata tenax, odorem foeniculi quodammodo spirans. Ex Oriente allata, Americanae antecellit.

Vis: stimulans, purifica.
Usus: in unguentis digestivis.

Euphorbium. *Euphorbium.*

Euphorbia officinarum, et forsan aliae nonnullae Euphorbiae Species. Frutices Africae meridionalis.

Succus lactescens, e planta vulnerata stillans, in aprico in frustulis multiformibus condensatus, Gummi-resinam praebet, squalide flavescentem, friabilem, saporis acerrimi urentis, nauseosi; prunis injectam odorem haud ingratum spargentem.

Vis: irritans, emetica, infida.
Usus: externus in carie ossium, in linimentis ad paralysin.

Fabae albae. *Weiſse Bohnen.*

Phaseolus vulgaris et nanus Linn.

Planta annua ubique hortis culta.

Fabae Pichurim minores. *Pichurim-Bohnen.*

Tetranthera Pichurim Sprengel.? Arbor Brasiliae.

Semen ovato-oblongum, externe nigricans,

glabrum, interne subfuscum, supra convexum, infra subcavum, odoris ac saporis aromatici moschatini.

Vis: stimulans, stomachica, sopiens.
Usus: in diarrhoeis, dysenteria, fluore albo.
Dosis: Drachma dimidia.

Fel Tauri. *Ochsengalle.*

Bos Taurus domesticus.

Vis: antacida, digestiva, anthelmintica.
Usus: in rancore et acore succi gastrici, et spastica inde irritatione ventriculi; in vappiditate et defectu propriae bilis, ad facilitandam digestionem ciborum.
Dosis: recentis Uncia dimidia, inspissati, Scrupulus dimidius.

Ferrum. *Eisen.*

Metallum, cinereo nigrescens, tenax, ductile, magneti obediens, pond. spec. 7, 78. Oxydatum acidis solutum tinctura Gallarum violaceo nigro, et liquore kalii ferro-hydrocyanici coeruleo colore praecipitatur.

Vis: metallici nulla, sed acidis nuptum mire confortans, ac crasin sanguinis emendans.
Usus: in obstructione viscerum, inprimis uteri et lienis citra tamen erethismum inflammatorium, in chlorosi, post haemorrhagias, aliaque profluvia serosa, vires exhaurientia, praemissis praemittendis.
Dosis: limaturae, grana tria ad decem.

Ferrum pulveratum s. praeparatum. *Gepulvertes oder präparirtes Eisen.*

Limatura ferri omni rubigine vacua, in mortario ferreo in pulverem trita, et deinde per linteum densum transmissa, caute vitro clauso servanda.

Flores Arnicae. *Wohlverleihblumen.*

Arnica montana Linnaei. Planta perennis Germaniae.

Colligendi flores recens evoluti et a calycibus liberati.

Vis: incitans, nervina, antiparalytica.

Usus: in typho torpido, stupido; paralysi aliisque morbis cum dejectione virium ac stasi humorum; in contusionibus.

Dosis: Uncia dimidia cum Aquae infusa libra una, et digesta ad Colaturam unciarum octo, omni bihorio cochlear unum.

Flores Aurantii s. Naphae. *Pomeranzenblüthen.*

Citrus Aurantium Linn.

Florum recentium petala alba, succulenta, odore suavi fragrantissimo, cum calycibus.

Vis: analeptica, nervina.

Usus: pro Aqua destillanda.

Flores Chamomillae Romanae. *Römische Kamillen.*

Anthemis nobilis Linn. Planta Europae meridionalis.

Flores colligendi mensibus Junio et Julio.

Vis: nervina, antispasmodica.
Usus: in Hysteria, in febre intermittente?
Dosis: pulveris scrupulus unus ad drachmam integram. Infusum magis solemne.

Flores Chamomillae vulgaris. *Gemeine Kamillen.*

Matricaria Chamomilla Linn. Planta annua in Germania frequens.

Flores colligendi mensibus Junio et Julio, discernendi a floribus Anthemis Cotulae Linn. ipsis conformibus, receptaculo nudo intus cavo.

Vis: nervina, antispasmodica, confortans.
Usus: in affectionibus hystericis, spasticis; in febribus intermittentibus; externe discutiendi gratia in sacculis, resolvendi gratia in Cataplasmatibus.

Flores Convallariae majalis. *Maiblumen.*

Convallaria majalis Linn. Planta perennis sylvatica Germaniae.

Corollae campanulatae, albae, suaveolentes.

Vis: siccatorum errhina.

Flores Lavandulae. *Lavendelblumen. Spieke.*

Lavandula Spica Linn. Lav. vera D. Cand. Fruticulus Europae australis, apud nos in hortis cultus.

Corollae cylindriacae coeruleae, odoris gratissimi.

Vis: nervina, analeptica.

Usus: in suffigiis et balneis.

Flores Malvae arboreae. *Pappelrosen. Stockrosen.*

Althaea rosea Cavanilles. Planta biennis orientalis, in hortis Germaniae frequenter culta.

Corollae mucilaginosae, atrofuscae.

Vis: adstringens.

Usus: in gargarismatibus adstringentibus.

Flores Malvae vulgaris. *Gemeine Pappelrose.*

Malva sylvestris. Planta perennis Germaniae perfrequens.

Corollae caerulescentes venis conspicuae.

Vis: emolliens, leniens.

Usus: in cataplasmate, gargarismate, clysmate.

Flores Millefolii. *Schafgarbenblumen.*

Achillea Millefolium. Planta perennis Germaniae.

Flores albi aut rubicundi, mense Junio colligendi.

Vis: nervina, sedans, subtonica, discutiens. vid. Herba.

Flores Rhoeados. *Klatschrosen. Feldrosen.*

Papaver Rhoeas. Planta annua in segetibus frequens.

Petala magna purpurea, mensibus Junio et Julio colligenda.

Vis: subanodyna, demulcens.

Flores Rosarum incarnatarum. *Rothe Rosen.*

Rosa centifolia. Frutex in hortis frequens.

Petala pallide rubentia.

Vis: leniter adstringens, odor analepticus.
Usus: pharmaceuticus.

Flores Rosarum rubrarum. *Essigrosen. Damascenerrosen.*

Rosa Gallica s. *damascena. Frutex Galliae meridionalis, apud nos hortensis.*

Petala e fusco rubentia, sapore adstringente.

Vis: adstringens.
Usus: pharmaceuticus.

Flores Sambuci. *Fliederblumen. Hollunderblumen.*

Sambucus nigra. Arbor Germaniae frequens.

Cymae florentes albae, non nisi arida tempestate colligendae.

Vis: leniens, diaphoretica.
Usus: in affectibus catarrhalibus, raucedine etc. externe in sacculis discutiendi scopo.

Flores Tanaceti. *Rainfarrnblumen.*

Tanacetum vulgare. Planta perennis ad vias frequens.

Flores semiglobosi, flavi.

Vis: nervina, anthelmintica.
Usus: contra vermes intestinales; in arthritide?
Dosis: Scrupulus unus et alter.

Flores Verbasci. *Wollkrautblumen.*

Verbascum Thapsus. Planta biennis, in locis incultis frequens.

Corollae mucilaginosae luteae, odoris rosacei debilis.

Vis: emolliens, lubricans, leniens.
Usus: in cataplasmate emolliente, et fomentis; in clysmatibus.

Flores Violarum. *Blaue Veilchen.*

Viola odorata. Planta perennis silvatica, in hortis frequenter culta.

Flores intense coerulei, odore grato.

Vis: leniter laxans.
Usus: in conficiendo Syrupo.

Folia Aurantii. *Pomeranzenblätter.*

Citrus Aurantium.

Folia ovato-acuminata, glabra, appendice cordata, ad basin aucta, saporis amaricantis, odoris fragrantis.

Vis: nervina, stomachica.
Usus: in dispositione ad hysteriam, aliosque affectus spasticos, immo in Epilepsia; ad confortandum ventriculum.
Dosis: pulveris drachma dimidia ad integram quater die. In infuso Uncia dimidia vel integra pro die.

Folia Lauro-Cerasi. *Kirschlorbeerblätter.*

Prunus Lauro-Cerasus. Arbor sempervirens Orientis, in hortis culta.

Folia mensibus Julio et Augusto colligenda, acido hydrocyanico tunc maxime praegnantia. Non nisi recentia adhibeantur.

Vis: sensibilitatem nervorum minuens, dosi majore deleteria, immo necans.
Usus: vid. Aqua Lauro-Cerasi.

Folia Sennae. *Sennesblätter.*

Cassia Senna. Suffrutex in Aegypto superiore, Nubia, regno Tripolitano frequens.

Folia ovato-acuta, inaequalia, e flavo viridia, longitudine semipollicari, sapore subacri amaricante subnauseoso. Eligenda quae ex Alexandria advehuntur.

Vis: laxans, subemetica, tormina ciens.
Usus: pro purganda alvo.
Dosis: pulveris Drachma dimidia. In Infuso Uncia dimidia ad Drachmas sex pro die.

Folia Uvae ursi. *Bärentraubenblätter.*

Arbutus Uva Ursi. Fruticulus Germaniae, semper virens.

Folia obovata, duriuscula, in pagina inferiore reticulata, saporis adstringentis.

Vis: incidens, adstringens.
Usus: in dysuria, et blennorrhoea Vesicae tam catarrhali, quam calculosa, citra tamen inflammationis suspicionem.
Dosis: pulveris scrupulus unus pluries, in Infuso Uncia dimidia pro die.

Formicae. *Ameisen.*

Formica rufa.

Insectum hymenopterum, Acido volatili proprio praeditum.

Vis: irritans, incitans.

Usus: *in paralysi et anaesthesia forma fomentationum et balneorum aqua coctae, immo et vivae partibus applicantur.*

Fructus Capsici annui, s. Piper hispanicum. *Spanischer Pfeffer.*

Capsicum annuum. Planta annua Americae australis, apud nos in hortis culta.

Bacca carnoso-membranacea, oblonga, conica, nitida, coloris rubri, seminibus albis compressis repleta, saporis piperei fervidi.

Vis: *irritans, stomachica, calefaciens.*
Usus: *in anorexia (sed abstine abusu) amaurosi, febre intermittente, typho icterode; externe in angina maligna forma infusi pro gargarismate.*
Dosis: *grana duo ad quinque.*

Fructus Mororum. *Schwarze Maulbeeren.*

Morus nigra. Arbor originis Sinicae, in Europa culta.

Baccae compositae nigrescentes, succo acidulo grato turgidae.

Vis: *temperans, detergens.*
Usus: *in aphthis oris externe.*

Fructus Prunorum. *Pflaumen.*

Prunus domestica. Arbor Europae australis in Germaniae pomariis frequens.

Drupae oblongae nigrescentes, pruina caerulescente adspersae, pulpa subdulci repletae.

Vis: temperans, laxans.

Fructus Rubi Idaei. *Himbeeren.*

Rubus Idaeus. Frutex Germaniae in vinetis et hortis cultus.

Baccae compositae, subrotundae, rubentes, succo subacido grato, et odore proprio suavissimo.

Vis: temperans, analeptica.

Galbanum s. Gummi Galbanum. *Mutterharz.*

Planta ignota, aliis Bubon Galbanum.

Gummi-Resina, in grumos luteo-albidos et fuscos indurescens, subtenax, saporis amaroacris, odoris gravis subnauseosi, Oleo aethereo dives.

Vis: calefaciens, antihysterica, resolvens.
Usus: in Obstructione viscerum, hysteria; externe resolvens, et discutiens.
Dosis: Scrupulus dimidius ad integrum.

Gallae. *Galläpfel.*

Quercus infectoria. Arbuscula orientalis.

Tumores foliorum, a Cynipis foliorum Quercus punctura producti, globosi, tuberculati, principio scytodephico, acido proprio nupto, repleti. Praeferuntur e nigro coerulescentes, ex Aleppo et Smirna allatae.

Vis: *styptica*, *tonica*.
Usus: *in blennorrhoeis chronicis*, *in diarrhoea inveterata a laxitate*, *et febribus intermittentibus*.
Dosis: *Scrupulus dimidius ad integrum*.

Gemmae Populi. *Pappelknospen.*

Populus nigra. *Arbor in collibus maritimis et passim ad vias crescens*.

Gemmae, quae etiam Oculi dicuntur, juniores, nondum explicatae, succo balsamico, glutinoso turgentes, mense Aprili colligendae.

Vis: *balsamica*, *depurans*.
Usus: *in unguento*.

Glandes Quercus. *Eicheln.*

Quercus Robur.

Fructus maturi, absque cupulis.

Vis, *nutriens*, *adstringens*, *tonica*.
Usus: *in laxitate ventriculi et intestinorum*, *diarrhoeis inde manantibus et Scrophulis*.
Dosis: *Unica dimidia vel integra in infuso vel decocto*.

Graphites. Plumbago. Graphit. *Reißblei.*

Fossile ex ordine Inflammabilium, *in Angliae et Hispaniae fodinis obvium*.

Griseo-nigrescens, nitore submetallico, fortiter inquinans, textura lamelloso-squamosa, Carbonio et ferro constans. Praestat anglicus.

Vis: alterans.

Usus: in vario herpete, tam interne, quam externe.

Dosis: drachma dimidia cum melle.

Gummi Arabicum s. Mimosae. *Arabisches Gummi. Senegal-Gummi.*

Acacia vera, Senegal et *gummifera, aliaeque huius generis species Mimosae Linnaei, in variis Africae regionibus sponte crescentes.*

Gummi pellucidum, albidum aut flavescens, diffractum nitens, saporis viscidi fatui, odoris nullius, in aqua e toto solubile.

Vis: nutriens, glutinans, involvens, demulcens.

Usus: in erosionibus tam internis quam externis, diarrhoeis, stranguria; ad sistendas haemorrhagias ex vulneratione, (Pulvis stypticus) ad subigendum Olea et resinas in menstruo aquoso.

Gummi Tragacanthae. *Traganth.*

Astragulus verus Olivier. Frutex Asiae minoris.

Gummi e fruticulis exsudans, in frustulis elongatis, multifarie contortis, condensatus, album, tenax, leve, inodorum, cum aqua mucilaginem spissam saporis fatui formans.

Vis et usus: uti Gummi arabici.

Gutti s. Gummi Guttae. *Gummigutt.*

Garcinia Cambogia Roxb. Garcinia Gutta Linn. Arbor Indiae Orientalis.

Gummi-resina compacta, fragilis, fractura nitens, opaca, colore e fusco lutea, tritura citrina, madefacta laete flava, odore nullo, sapore ex acri subdulci.

Vis: purgans, drastica, nauseosa, hydragoga.

Usus: in hydrope, contra taeniam, in torpore canalis intestinalis.

Dosis: Grani quarta pars, ad Scrupulum dimidium.

Helix pomatia. *Weinbergschnecke.*

Animal moluscum gasteropodum, testa subglobosa, perforata, decolore, apertura subrotundo-lunata, obtectum.

Vis: nutriens, involvens, demulciens.

Usus: in febre hectica vires ac carnem depascente.

Helminthochorton. *Wurmmoos.*

Ceramium Helminthochortos. In mare mediterraneo ad littus Corsicae frequens.

Alga ex flavo subfusca, pollicaris, composita e filamentis tenuissimis, ramosis, tenacibus, saporo subsalso nauseoso et odore marino.

Vis: anthelmintica.

Dosis: infantibus grana duodecim ad drachmam dimidiam; adultis Scrupuli duo ad Drachmas duas, contra lumbricos dantur.

Herba Absinthii. *Wermuth.*

Artemisia Absinthium. Planta perennis frequentissima.

Herba florens, floribus compositis exiguis subglobosis, pendulis, foliolis lobatis, tomento albo obsitis, sapore peramaro, odore aromatico gravi. Colligenda mensibus Julio et Augusto.

Vis: nervina, stomachica, anthelmintica.
Usus: in anorexia, contra vermes.
Dosis: pulveris, drachma dimidia.

Herba Aconiti. *Eisenhütlein.*

Aconitum neomontanum Wildenow. Planta perennis, in montosis Germaniae passim obvia.

Folia intense viridia, glabra, palmata, quinquepartita, lobis dissectis, principio narcotico acri praedita. Colligenda sunt e planta sponte nascente, nec in hortis culta, mensibus Maio et Junio, una cum floribus.

Vis: narcotica, dosi majore perfida; immo deleteria.
Usus: in rheumatismo, arthritide.
Dosis: Extracti grana duo et ultra.

Herba Althaeae. *Eibischkraut. Altheekraut.*

Althaea officinalis. Planta perennis Germaniae.

Folia triangularia, tomento cinereo mollissi-

mo tecta, multa mucilagine repleta. Colligenda mensibus Junio et Julio ante flores.

Vis: *emolliens, leniens, involvens.*

Usus: *in fomentis, cataplasmatibus, pro decocto in febribus acutis.*

Herba Belladonnae. *Tollkirschenblätter. Belladonnablätter.*

Atropa Belladonna. Planta perennis in Germaniae montosis, sylvaticis, ruderatis spontanea, in hortis medicis culta.

Planta narcotica summe virulenta, foliis magnis, petiolatis, integris, ovato-acutis, intense viridibus, mense Julio colligendis.

Vis: *nervina propria, resolvens, sensibilitatem diminuens, caute tractanda.*

Usus: *in scirrho et cancro, praesertim uteri; in hydrophobia, obstructione viscerum et hydrope inde pendente; in photophobia, amaurosi, Melancholia, Mania; tussi convulsiva, cephalalgia chronica. Externe in fomentis et cataplasmatibus resolventibus; ad dilatandam pupillam in oculorum cura.*

Dosis: *grana duo ad decem, alternis diebus subinde.*

Herba Capilli Veneris. *Frauenhaar.*

Adianthum Capillus Veneris. Sponte crescit in terris calidioribus Galliae et Italiae.

Adianthum foliolis alternis, secundariis cuneiformibus, lobatis, pedicellatis.

Vis: subadstringens, incidens.

Herba Cardui benedicti. *Cardobenedictenkraut.*

Centaurea benedicta. Planta annua, ex insulis Archipelagi, in hortis medicis culta.

Herba florens peramara, foliis oblongis, sinuatis, hirsutis, floribus compositis tubulosis luteis, calyce cum foliis adjacentibus, ope texturae arachnoideae, cohaerente, colligenda statim floribus evolutis.

Vis: incidens, stomachica, anticolica.

Usus: in digestione lenta, etiamsi primae viae non adeo purae, Extractum et Infusum egregie conducunt, nec non in obstructione viscerum et catarrhis chronicis.

Herba Centaurii minoris. *Tausendgüldenkraut.*

Erythraea Centaurium. Planta annua pratensis Germaniae.

Herba florens floribus rubentibus, foliis ovatis, saporis amaro-acris, Julio mense colligenda.

Vis: stomachica, digestiva.

Usus: in vitiis digestionis.

Herba Chelidonii majoris. *Schöllkraut.*

Chelidonium majus. Planta perennis, in ruderatis et umbrosis frequens.

Folia magna, tenuia, sinuata, glabra, odoris ingrati, succo luteo acri repleta, mense Majo colligenda.

Vis: incidens resolvens.
Usus: in obstructione viscerum, ictero, hydrope; externe in verrucis delendis.
Dosis: Succi expressi drachma, extracti grana quinque ad decem.

Herba Chenopodii ambrosiaci seu Botryos Mexicanae. *Mexicanisches Traubenkraut.*

Chenopodium ambrosioides. Planta annua Mexicana, nobis hortensis.

Herba florens odoris ambrosiaci, saporis aromatici, racemis foliatis simplicibus, foliis lanceolatis dentatis, mense Julio colligenda.

Vis: nervina, refocillans.
Usus: Infusum infantibus neonatis adynamicis, Tincturu decrepitis convenit.
Dosis: pro infantulo infusi ex herbae drachma una cum Aquae Unciis tribus parati, Cochlear parvulum quavis semihora.

Herba Cochleariae. *Löffelkraut.*

Cochlearia officinalis. Planta biennis, ad

litora Europae borealis frequens, apud nos in hortis culta.

Herba florens succulenta, principio acri volatili praedita, foliis radicalibus cordatis, caulinis oblongis sinuatis, verno tempore colligenda.

Vis: incidens, stimulans, antiscorbutica.

Usus: in diathesi scorbutica tam universale quam locale.

Dosis: Succi expressi Unciae duae aliquoties de die, succo citri vel aurantiorum mixtae.

Herba Conii maculati s. Cicutae maculatae. *Erdschierling.*

Conium maculatum. Planta biennis in Germania frequens.

Herba obscure viridis, foliis compositis, foliolis lanceolatis incisis glabris, caule et ramis majoribus maculis purpureis adspersis, nidorem nauseosum narcoticum exhalans. Colligenda anno altero dum inflorescit.

Vis: narcotica, perfida, in apta dosi antispastica; anodyna, resolvens.

Usus: in obstructione viscerum et glandularum, in scirrhis, cancro. Externe cataplasmatibus resolventibus anodynis additur.

Dosis: vid. extractum.

Herba Digitalis. *Rother Fingerhut.*

Digitalis purpurea. Planta biennis montana Helvetiae et Germaniae.

Herba virulenta, foliis ellipticis, rugosis, hirsutis, margine serratis, saporis amari acerrimi. Colligenda ex plantis in montosis sponte cretis, nec in hortis cultis, dum inflorescit.

Vis: narcotica, irritabilitatem minuens, motum cordis et arteriarum retardans, protracta dosi valde debilitans, mentem turbans, vomitum ciens, amaurosin fugitivam inducens; urinam pellens maxime infusa.

Usus: in Hydrope, inprimis pectoris, in Phthisi pulmonum florida, haemoptysi, aliisque haemorrhagiis activis, Mania et inflammationibus pectoris.

Dosis: pulveris granum unum, unum cum dimidio, bis vel ter de die; Infusi e drachma una cum Aquae Unciis octo parati Uncia una bis de die.

Antidotum: Aether aceticus?

Herba Farfarae. *Huflattig.*

Tussilago Farfara. Planta perennis Germaniae.

Folia subcordato-angulata, denticulata, subtomentosa, saporis subadstringentis subamari, colligenda mense Majo.

Vis: incidens, expectorans.

Usus: in affectione pulmonum catarrhali, in scrophulis?

Herba Fumariae. *Erdrauch.*

Fumaria officinalis. Planta annua inter olera et segetes frequens.

Herba peramara, foliis compositis, foliolis trilobatis, una cum floribus colligenda Majo et Junio.

Vis: incitans, resolvens.
Usus: in obstructione viscerum.
Dosis: succi expressi Unciae duae vel tres die; Extracti Scrupulus unus.

Herba Gratiolae. *Gnadenkraut.*

Gratiola officinalis. Planta perennis pratensis et riparia Germaniae.

Herba florens, amaro-acris, foliis lanceolatis serratis, glabris, floribus ringentibus, subalbidis, diandris. Colligenda Junio et Julio mensibus.

Vis: Purgans, drastica, emetica.
Usus: in torpore alvi, hydrope, mania, contra Vermes, in ulceribus pedum phagedaenicis.
Dosis: pulveris grana decem pro re nata bis vel ter die. Infusi e drachmis duabus cum Aqua ad Colaturam unciarum quatuor parati, omni bihorio Cochlear unum. Clysmata ex ejusmodi Infuso paulo fortiori, utiliter in pertinaci alvi

obstructione, et adversus ascarides administrantur.

Herba Hederae terrestris. *Gundermann.*

Glecoma hederacea. Planta perennis frequentissima.

Folia reniformia, crenata, saporis amaricantis, subaromatici. Colligenda una cum floribus mensibus Aprili et Majo.

Vis: diuretica, tonica, traumatica.
Usus: in affectionibus catarrhalibus et renum.

Herba Hyoscyami. *Bilsenkraut.*

Hyoscyamus niger. Planta biennis in ruderatis et ad vias frequens.

Herba foliis semiamplexicaulibus, sinuatis, hirsutis, odore nauseoso, narcotico. Colligenda simulac inflorescere coepit.

Vis: anodyna, narcotica.
Usus: praecipuus in Vomitu, cardialgia, aliisque affectibus spasticis intestinorum, pulmonum, et diaphragmatis. Nec obstipat, nec exaestuat, nimia attamen dosi visum obfuscat, soporem stertorosum, et maniam inducit.
Dosis: pulveris grana quinque ad decem, Extracti grana tria vel quatuor.

Herba Hyssopi. *Isop.*

Hyssopus officinalis. Fruticulus Europae meridionalis, nobis hortensis.

Herba aromatica, foliis lanceolatis glabris, colligenda Majo.

Vis: *incidens, discutiens.*

Usus: *infusi vel Aquae in catarrho pulmonum, externe in contusionibus et sugillatione.*

Herba Lactucae virosae. *Giftiger Salat. Giftlattig.*

Lactuca virosa. Planta biennis in Europae australioris aggeribus et sepibus.

Foliis horizontalibus carina aculeatis dentatis. Colligenda antequam floreat.

Vis: *narcotica, virulenta, antispastica, diuretica.*

Usus: *in asthmate spastico, hydrope.*

Dosis: *extracti grana duo ad tria pluries die.*

Herba Ledi palustris. *Wilder Rosmarin. Porsch. Post.*

Ledum palustre. Fruticulus in cespitosis et uliginosis Germaniae frequens.

Folia lineari-lanceolata, superficie superiori glabra, saturate viridi, inferiori hirsuta, fusca, sapore amaro adstringente, odore gravi. Colligenda mensibus Majo et Junio.

Vis: *narcotica, cimicibus adversa.*

Usus: *in tussi ferina, aliisque morbis spasticis.*

Dosis: infusi ex herbae Uncia dimidia cum Aquae Libra una parati, Cochlearia duo.

Herba Linariae. *Leinkraut.*

Linaria vulgaris. Planta perennis frequens.

Herba florens, foliis lanceolato-linearibus, floribus luteis, saporis subamari, odoris subnauseosi.

Vis: diuretica? muscas necans.

Usus: Unguenti ad haemorrhoides dolentes.

Herba Majoranae. *Majoran.*

Origanum Majorana. Planta annua Europae meridionalis, in hortis culta.

Herba aromatica, foliis ovatis-obtusis, e viridi albescentibus. Colligenda Julio mense.

Vis: nervina, analeptica, discutiens.
Usus; in balneis et fomentis.

Herba Malvae. *Pappelkraut. Käsepappeln.*

Malva rotundifolia.

Folia cordato-orbiculata, subquinqueloba, mucilaginea. Colligenda mensibus Junio et Julio.

Vis: emolliens, lubricans.
Usus: in epithematibus emollientibus, clysmatibus.

Herba Mari veri. *Amberkraut. Katzenkraut.*

Teucrium Marum. Fruticulus Europae meridionalis et Orientis, praesertim in Hispania et Syria frequens.

Herba aromatica, fragrans, foliis ovatis petiolatis, superficie inferiore, una cum petiolis et ramulis, tomento albo superinductis, floribus racemosis purpureis.

Vis: nervina, analeptica, errhina.

Usus: in menstruis suppressis, affectionibus nervosis.

Dosis: pulveris Scrupulus unus et ultra.

Herba Marrubii albi. *Weifser Andorn.*

Marrubium vulgare. Planta perennis in ruderatis frequens.

Herba amara, hirsuta, e viridi albicans, foliis ovatis, crenatis, rugosis. Colligenda dum floret mensibus Julio et Augusto.

Vis: resolvens, tonica, non adstringens, irritans.

Usus: in obstructione viscerum, blennorhoea pulmonum, amenorrhoea. Infusum frigide sumtum simul stomacho et pulmonibus debilitatis prospicit.

Dosis: extracti drachma dimidia.

Herba Meliloti cum floribus. *Melilotenkraut mit den Blumen.*

Melilotus officinalis Willd. Planta annua per totam Germaniam frequens.

Rami florentes, floribus luteis odorem peculiarem subdulcem gravem spirantibus, Julio mense colligendi.

Vis: emolliens, leniens.

Usus: in cataplasmatibus.

Herba Melissae s. Melissae citratae. *Melisse. Citronenmelisse.*

Melissa officinalis. Planta perennis Germaniae meridionalis, in hortis culta.

Herba aromatica odoris citrei, foliis ovato-cordatis, serratis, subvillosis. Colligatur Mense Junio.

Vis: nervina, antispastica.

Usus: infusi in affectionibus spasticis, doloribus ad partum, menstruis tardis, colica.

Herba Menthae crispae. *Krausemünze.*

Mentha crispa. Planta perennis originis Sibiricae, in hortis culta.

Herba aromatico-amaricans, graveolens, foliis cordatis, dentatis, rugosis, undulatis. Colligenda dum incipit florere.

Vis: *nervina, analeptica, carminativa, lactis secretionem minuens.*

Herba Menthae piperitae. *Pfeffermünze.*

Mentha piperita. Planta perennis Angliae, in hortis medicis culta.

Herba foliis petiolatis, ovato-acutis, serratis, glabris, odoris fragrantis, saporis aromatico-camphoracei. Colligatur Junio mense.

Vis: *nervina, analeptica, carminativa anodyna.*

Usus: *in flatulentia, debilitate intestinorum, variisque affectionibus nervosis Infusum, vel Aqua magno sunt solatio.*

Herba Millefolii. *Schafgarbe.*

Achillea Millefolium. Planta perennis Germaniae.

Herba amaro-aromatica, foliis bipennatis, laciniis linearibus dentatis. Mense Junio colligenda.

Vis: *nervina, sedans, subtonica, discutiens.*

Usus: *in diathesi hysterica et hypochondriaca, in blennorrhoea pulmonum, nimio fluxu haemorrhoidum, et Colica haemorrhoidali.*

Dosis: *Succi expressi Uncia dimidia pluries de die, Extracti Scrupulus unus et ultra.*

Herba Nicotianae. *Tabak.*

Nicotiana Tabacum. Planta annua Americae meridionalis, apud nos culta.

Folia oblongo-lanceolata, magna, odoris subnauseosi, saporis peramari, quae exsiccata fuscum induunt colorem.

Vis: resolvens, incidens, laxans, nauseosa, sialagoga, errhina, narcotica.
Usus: fumi ore capti ad movendam alvum, Infusi in hydrope; (Fowler) herbae siccae masticatae ad eliciendam salivam; externe contra scabiem pecoris, tineam capitis. Clysmata e fumo aut decocto in ileo, et dysuria spastica efficacissima.
Dosis: Herbae siccatae pro clysmate drachma una cum dimidia, vel drachmae duae aqua decoctae.

Herba Origani cretici. *Spanischer Hopfen.*

Origanum creticum. Planta perennis Europae australis.

Spicae e viridi subfuscae, saporis acris aromatici.

Vis: stimulans, exaestuans.
Usus: Olei aetherei ad dentes cariosos.

Herba Origani vulgaris. *Gemeiner oder brauner Dost. Wohlgemuth.*

Origanum vulgare. Planta perennis Germaniae.

Herba aromatica, ramis quadrangulis rubentibus, foliis oppositis ovatis, bracteis ovatis, calyce longioribus. Colligatur cum floribus mensibus Junio et Julio.

Vis: *nervina, carminativa.*

Usus: *in epithematibus, balneis; ad arcendum acorem cerevisiae additur.*

Herba Polygalae amarae cum radice. *Bitter Kreuz-Blumenkraut mit der Wurzel.*

Polygala amara Linn. et Polygala amarella Reichenbachi. Plantae perennes montanae, illa Sueciae, haec Germaniae.

Herba florens cum radicibus fibrosis, radiculis tenuibus lutescentibus, caulibus pluribus, superne ramosis, foliis radicalibus spathulatis plurimis in orbem digestis, caulinis lanceolatis brevibus, floribus parvis coerulescentibus, sapore e subamaro subdulci. Colligenda mense Majo.

Vis: *incidens, stomachica.*

Usus: *in asthenia pulmonum et ventriculi.*

Dosis: *pulveris drachma dimidia. Infusi decocti cochlear unum omni bihorio.*

Herba Pulegii. *Polei.*

Mentha Pulegium. Planta perennis Germaniae, in locis humidis crescens.

Herba florens aromatica, floribus verticilla-

tis

tis rubicundis; foliis ovato-lanceolatis, serratis, hirsutis.

Vis: aromatica, acris.
Usus: in affectionibus pulmonum, externe in balneis.

Herba Pulsatillae. *Schwarze Küchenschelle.*

Anemone pratensis. Spontanea occurrit in variis Germaniae regionibus.

Herba plantae caute ab Anemone Pulsatilla distinguendae. Differt ab ea praecipue foliis minus densa lanugine vestitis, floribus fere duplo minoribus, petalorum apice non recto, sed reflexo, eorumque colore obscurius purpureo. Colligenda mensibus Aprili et Junio.

Vis: acris, vellicans.
Usus: in amaurosi.
Dosis: Aquae destillatae bis de die Drachmae duae ad unciam dimidiam, Extracti: grana tria et ultra.

Herba Roris marini. *Rosmarin.*

Rosmarinus officinalis. Frutex Europae meridionalis.

Herba florens aromatica, acris, floribus ringentibus, dilute caeruleis, foliis lineari-lanceolatis, pagina superiori intense viridibus.

Vis: nervina, diaphoretica, discutiens.
Usus: in sacculis, balneis, fomentis.

Herba Rutae. *Raute, Gartenraute.*

Ruta graveolens. Fruticulus, Europae meridionalis indigena, apud nos hortensis.

Herba amaro-acris, graveolens, e viridi subcaerulescens, foliis decompositis, foliolis cruciformibus. Colligenda mensibus Majo et Junio.

Vis: nervina, antithysterica, rubefaciens.

Usus: Decocti ad gingivam flaccidam, vaporum ad oculorum caliginem; epicarpii ex summitatibus rutae et seminibus Sinapis compositi, ad febrem intermittentem.

Herba Sabinae. *Sadebaum.*

Juniperus Sabina. Frutex Asiae borealis, et Europae australis sempervirens, nobis hortensis.

Summitates ramorum, foliis oppositis erectis, decurrentibus, saporis amaro-acris, odoris gravissimi. Colligendae verno tempore.

Vis: Incitans Vasa sanguifera, inde emmenagoga, subinde abortiva, haemoptysin ciens, antarthritica, antisyphilitica.

Usus: in torpore Uteri, ad pellenda menstrua, in arthritide, paedarthrocace; externe ad paralysin in balneis, ad ficos et porros venereos.

Dosis: pulveris scrupulus dimidius ad drachmam dimidiam; Conservae cochlear parvulum; Decocti, ex Herbae Uncia una cum Aquae Libra una ad residuum dimidii parati, Vasculum unum omni bihorio.

Herba Salviae. *Salbei.*

Salvia officinalis. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Herba amaro-aromatica, subadstringens, foliis lanceolato-subovatis, integris, rugosis, crenulatis. Aestivo tempore colligatur.

Vis: nervina, adstringens.
Usus: in haemorrhagiis passivis, sudore colliquativo; externe in gargarismatibus adstringentibus, et ad gingivam laxam.

Herba Scordii. *Lachenknoblauch.*

Teucrium Scordium. Planta perennis Germaniae.

Herba amara, odoris suballiacei, foliis oblongis sessilibus, dentato-serratis.

Vis: incitans, stomachica, diaphoretica.
Usus: in morbis asthenicis, externe in gangraena.

Herba Serpylli. *Quendel.*

Thymus Serpyllum. Fruticulus Europaeus in apricis frequentissimus.

Herba amaro-aromatica, fragrans, caule repente, foliis planis, ovatis, obtusis, basi ciliatis, floribus capitatis purpurascentibus, una quibus colligatur mensibus Junio et Julio.

Vis: nervina excitans.
Usus: in balneis et sacculis, Spiritus ad paralysin.

Herba Stramonii. *Stechapfelkraut.*

Datura Stramonium. Planta annua ex America oriunda, nunc in Germania ad sepes, vias et in ruderatis frequens.

Plantae virosae folia ovata, acuminata, dentato-sinuata, venosa, odoris nauseosi, narcotici. Colligenda mensibus Junio et Julio.

Vis: anodyna, narcotica.

Usus: fumi e stipitibus siccatis ore capti, in asthmate; Extracti et Tincturae in variis affectionibus spasticis, inprimis dolorificis et asthmaticis, nec non in Mania.

Herba Taraxaci. *Löwenzahn.*

Leontodon Taraxacum. Planta perennis in pascuis frequentissima.

Herba amaricans, floribus compositis ligulatis, flavis, foliis runcinatis, denticulatis, laevibus. Verno tempore antequam florescat, colligenda.

Vis: incidens, resolvens.

Usus: in obstructione viscerum abdominalium, Colluvie pituitosa primarum viarum, et diversis eruptionibus cutaneis diuturnis.

Dosis: Succi expressi Unciae duae; mellaginis Cochlear unum et alterum.

Herba Thymi. *Thymian.*

Thymus vulgaris. Fruticulus hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Herba aromatica, caule erecto ramoso, foliis ovatis, revolutis, floribus verticillato-spicatis, albis. Colligatur mensibus Junio et Julio.

Vis: nervina, refocillans.
Usus: in balneis aromaticis.

Herba Trifolii aquatici s. fibrini. *Fieberklee.*

Menyanthes trifoliata. Planta perennis palustris Germaniae.

Folia ternata, foliolis ovatis, amara. Colligenda mensibus Majo et Junio.

Vis: stomachica, anthelmintica.
Usus: in anorexia, febribus intermittentibus, contra vermes.
Dosis: pulveris scrupulus dimidius ad integrum.

Herba Veronicae. *Ehrenpreis.*

Veronica officinalis. Planta perennis Germaniae.

Herba amaricans, caule procumbente, spicis lateralibus pedunculatis, floribus caerulescentibus, foliis oppositis, ovatis, crenatis. Colligatur vere.

Vis: subadstringens, tonica.
Usus: in tussi catarrhali.

Herba Violae tricoloris s. Jaceae. *Freisamkraut.*

Viola tricolor. Planta annua in arenosis frequens.

Herba subacris, foliis ovatis dentatis, floribus calyce glabro duplo majoribus. Colligenda cum floribus aestate.

Vis: *alterans, lotium pellens ad instar felini.*

Usus: *in crusta lactea, herpete.*

Dosis: *pro infante drachma dimidia herbae, cum Unciis duabus lactis cocta, mane et vespere.*

Hydrargyrum s. Mercurius vivus. *Quecksilber.*

Metallum album, pond. spec. 13, 5, volatile, sub nostro coelo liquidum. Reperitur nativum; maxima vero parte destillando e mineris cinnabarinis obtinetur.

Vis: *metalli mechanica, sed statu plus minus oxydato incitans systema lymphaticum, una cum glanduloso, et inprimis salivali; hinc alterans, maxime resolvens et purgans; irritabilitatem denique subvertens ad paralysin ac necem usque; anthelmintica praeterea, ac specifice antisyphilitica.*

Usus: *metalli in volvulo ac ileo? Decocti contra ascarides forma clysmatum. De oxydulis et oxydis vide suo loco.*

Hydrargyrum muriaticum corrosivum. *Ätzendes salzsaures Quecksilber.* (Mercurius sublimatus corrosivus. *Ätzender Quecksilbersublimat*).

Praeparatum officinarum chemicarum, ex hydrargyro, acido sulphurico, et natro muriatico.

Sal crystallinus, cohaerens, ponderosus, in aquae partibus sedecim, alcoholis duabus cum dimidia et aetheris sulphurici tribus solubilis, in igne avolans, summe venenosus. Constat ex hydrargyro et chloro. Caute secundum leges serva.

Vis: antisyphilitica, antirheumatica, corrosiva.
Usus: in lue venerea, rheumatismo chronico, tam interne, quam externe.
Dosis: Quarta pars grani unius aqua destillati soluti, bis die.
Antidotum: Albumen.

Hydrargyrum oxydatum rubrum venale. *Käufliches rothes Quecksilberoxyd.*

(Mercurius praecipitatus ruber. *Rother Quecksilberpräcipitat).*

Praeparatum officinarum chemicarum ex hydrargyro et acido nitrico.

Pulvis in particulis squamiformibus splendentibus ruberrimis, ex hydrargyro et oxygenio constans, acido nitrico plerumque mixtus. Caute secundum leges serva.

Vis: antisyphilitica, corrosiva.
Usus: in lue inveterata, fauces et ossa devastante interne datur, externe ad Condylomata, verrucas, ac ulcera venerea.

Dosis: octava, quarta immo dimidia pars grani unius semel die.

Ichthyocolla s. **Collapiscium.** *Hausenblase.*

Acipenser Stellatus. A. Huso. Maris Caspici Incolae.

Colla ex intestinis, praesertim e vesica natatoria coctione extracta, refrigerio in pelliculas condensata, et dein convoluta. Sit albida, ponderosa, tenax, in Aqua et Spiritu Vini solubilis.

Vis: nutriens, involvens.

Usus: loco Cornu Cervi ad Gelatinam parandam; forma injectionis cum myrrha ad Vesicam exulceratam; ad parandum emplastrum adhaesivum anglicum.

Jodum seu **Jodina.** *Jod* oder *Jodine.*

Praeparatum chemicum e cineribus variarum Specierum Fuci Linn. praesertim F. saccharini.

Squamulae cinereo-nigrae, nitore metallico, molles, friabiles, odore forti eiquem Chlorum edit comparando, sapore austero acri, igne faciliter liquescentes et vapore violaceo avolantes, cutem tingentes colore fusco-luteo, non permanente, virtute venenosa praeditae.

Vis: systema absorbens incitans, resolvens, nimio usu damnifera.

Usus: in Scrophulis, variisque tumoribus parasiticis.
Dosis: vid. Tinctura.

Kali carbonicum crudum s. Cineres clavellati. *Pottasche.*

Massa salina, e cineribus lignorum per elixationem et inspissationem parata, et leniter usta. Plerumque Kali sulphurico, Kali muriatico et partibus terreis inquinatur.

Kali nitricum crudum seu Nitrum crudum. *Salpeter.*

In Nitrariis nostris obtinetur elixando terras in stabulis effossas, aliasque illo praegnantes; maxima vero copia ex India Orientali affertur. Venale plerumque Kali muriaticum, Calcaream et Magnesiam nitricam continet.

Kali sulphuricum. Arcanum duplicatum. Tartarus vitriolatus. *Schwefelsaures Kali.*

Praeparatur in officinis chemicis e residuis destillationis acidi nitrici.

Sal in crystallis cohaerentibus, albis, prismaticis, apice acuminatis, sapore amaricante, in aquae sedecim partibus solvendis, in aëre non humescentibus nec fatescentibus. Rejiciatur quod metallis, praecipue zinco et cupro, inquinatum est.

Vis: refrigerans, laxans.

Usus: in febribus inflammatoriis et gastricis.
Dosis: Scrupulus unus, drachma dimidia, omni trihorio.

Kalium ferro-cyanicum venale purum. *Käufliches reines Eisencyankalium.*

Praeparatur in officinis chemicis.

Crystalli cohaerentes laete citrinae, sapore subdulci, in aquae partibus quatuor, omnino non in Alkohol solubiles. Solutio aquosa Baryta muriatica non turbetur, nec frigida addito acido sulphurico dilutae coerulea evadat.

Usus: pharmaceuticus.

Kino s. Gummi Gambiense. *Kino.*
von Drepanocarpus Senegalensis
Arbor Africae interioris, nondum satis nota.

Massa friabilis, opaca, e rubro nigricans, splendens, in Aqua et Spiritu Vini solubilis, saporis peradstringentis.

Vis: adstringens.
Usus: in diarrhoea habituali, fluore albo, menstruis nimiis; externe ad haemorrhagias e Vulnere.
Dosis: pulveris Scrupulus dimidius, ad integrum omni trihorio.

Lapides Cancrorum. *Krebssteine.*

Cancer Astacus Linn. sive Astacus fluviatilis Fabricii. *Insectum apterum.*

Concrementa calcarea, alba, orbiculata, una parte convexa, altera sinuata, texturae lamellosae, superficie, qua ventriculo cancri adhaerent, umbilicata, e calcaria carbonica et gelatinae parte constantia.

Vis: antacida, absorbens.
Usus: in Soda.
Dosis: pulveris scrupulus dimidius.

Lapis calaminaris. *Galmey.*

Minera Zinci terrea et lapidea, flavescentis vel fusci coloris.

Vis: exsiccans.
Usus: in unguentis et emplastris.

Lapis Pumicis. *Bimsstein.*

Lapis porosus, levis, coloris grisei.

Vis: mechanica.
Usus: in pulvere dentifricio?

Lichen Islandicus. *Isländisches Moos.*

Cetraria Islandica. In montibus Silesiae, Thuringiae, Hercyniae, aliisque montosis frigidis Europae borealis frequens.

Vis: nutriens, restaurans, involvens.
Usus: in blennorrhoea pulmonum, tabe, ac reconvalescentia stomacho annuente. Optime Chocolatae jungitur, vel forma Gelatinae sumitur ad Unciam unam et alteram die.

Lignum Campechianum. *Campechenholz.*

Haematoxylon Campechianum. Arbor Americae calidioris.

Lignum durum, ponderosum, tinctorium, e flavo rubrum, saporis subadstringentis, subdulcis.

Vis: adstringens.
Usus: in diarrhoea, fluore albo.

Lignum Guajaci s. Lignum sanctum. *Guajakholz.*

Guajacum officinale. Arbor Indiae occidentalis.

Lignum ponderosum, compactum, resinosum, e viridi cinereum, saporis subamari acris, odoris balsamici, haud ingrati.

Vis: irritans, diaphoretica.
Usus: in lue venerea et arthritide, forma decocti vel Ptisanae.

Lignum Juniperi. *Wachholderholz.*

Juniperus communis.

Lignum albidum, resinosum, suffitu odoratum.

Vis: irritans, diuretica.
Usus: in hydrope.

Lignum Quassiae. *Quassienholz. Bitterholz.*

Quassia excelsa. Arbor Indiae occidentalis.

Lignum albicans, leve, inodorum, saporis amarissimi; a Ligno *Rhois Metopii*, fraudulenter substituto, cuius decoctum ex affuso ferro sulphurico nigrescit, bene distinguendum.

Vis: adstringens, stomachica, tonica, muscis lethifera.
Usus: in anorexia, diarrhoea, haemorrhagiis e fibra laxa, fluore albo.
Dosis: Decocti, ex uncia dimidia vel integra ad Colaturam Unciarum octo parati, pluries de die Uncia una.

Lignum santalum rubrum. *Rothes Sandelholz.*

Pterocarpus santalinus. Arbor in montibus Ceylonicis et Indiae.

Ligni frusta, secundum longitudinem scissa, compacta, rubra, extus fere nigricantia, interne laetius rubra. Quo floridius lignum, eo melius.

Lignum Sassafras. *Sassafrasholz, Fenchelholz.*

Laurus Sassafras. Frutex Pensylvaniae, Carolinae, Virginiae et Floridae.

Radix lignosa, levis, coloris subrubicundi aut cinerei, saporis subdulcis, odoris foeniculacei, cortice e fusco ferrugineo spongioso cincta.

Vis: calefaciens, diaphoretica.
Usus: in arthritide, rheumatismo, lue venerea.

Lithargyrum. *Bleiglätte.*

Plumbum oxydatum semifusum, quod in cupellatione argenti forma squamularum, e rubello flavicantium obtinetur.

Vis: exsiccans, styptica.
Usus: in Emplastris.

Macis. *Muskatenblüthe.*

Myristica moschata. Arbor aromatica insulae Bandae, celebris inter Moluccas.

Arillus laciniatus, nucem moschatum reticuli instar circumdans, pinguis, coloris e cinnamomeo fusci, odoris et saporis valde aromatici, fragrantis, grati.

Vis: excitans, stomachica.
Usus: in dyspepsia.
Dosis: grana quatuor ad sex.

Magnesia carbonica. *Kohlensaure Bittererde. Kohlensaure Magnesia. Magnesia.*

Praeparatur in officinis chemicis e magnesia sulphurica.

Sal terram referens, cohaerens, valde friabilis, inquinans, levissimus, albus, in aqua fere indissolubilis, e magnesia et acido carbonico constans. Sit pura, non inquinata calcaria carbonica, quae liquore Kali oxalici e solutione magnesiae in acido nitrico praecipitari potest. Kali aut natrum carbonicum magnesiae car-

bonicae admixta, dignoscuntur infusione aquae ferventis, quae kali et natrum carbonicum praesertim solvit, evaporatione, et iterata solutione in Aquae parva copia.

Vis: absorbens, laxans.

Usus: in Soda, ad laxandum alvum, ad calculos urinae uricos.

Dosis: Drachma dimidia vel integra pluries die.

Magnesia sulphurica cruda seu Sal amarum crudum. *Rohe schwefelsaure Bittererde,* oder *rohes Bittersalz.*

Praeparatum officinarum chemicarum nec non salinarum e lixivio salis communis.

Sal in crystallulis prismaticis, splendentibus, albis, in aquae partibus duabus solubilibus, in aëre parum fatiscentibus, saporis amari, e magnesia, acido sculphurico et aqua constans. Rejiciatur cupro et ferro inquinatum colore dignoscendum. Quod magnesia muriatica mixtum est, aëre humidum fit.

Vis: refrigerans, laxans, diuretica.

Usus: in morbis, quibus laxantibus refrigerantibus opus est.

Dosis: Drachma una omni trihorio.

Manganum oxydatum nativum. *Braun-Manganererz. Braunstein.*

Oxydum nigrum, inquinans, ponderosum, in vase clauso ignitum, Gas oxygenium largiens.

Vis: sialagoga?
Usus: praeter chemicum, in herpete, variisque cutis efflorescentiis externe, vel pulvere simpliciter insperso, vel forma unguenti cum axungia porci.

Manna. *Manna.*

Fraxinus rotundifolia Aitoni. *Arbor in Calabria et Sicilia frequens.*

Succus saccharinus, viscidus, tam sponte, quam ex arbore vulnerata stillans, solis calore in massam grumosam, levem, ex albo lutescentem, saporis dulcis subacris, odoris melligeni, condensatus.

Vis: laxans, bechica.
Usus: in catarrhis, morbis gastricis, imprimis infantum.
Dosis: pro infante drachma una ad Unciam dimidiam, pro ratione aetatis.

Mastiche. *Mastix.*

Pistacia Lentiscus. Arbor insularum Archipelagi.

Resina in guttis rotundatis stillata, pellucida splendens, coloris ex albido citrini, sub masticatione tenax, prunis injecta suaveolens.

Vis: masticatae sialagoga; externe irritans, vulnera consolidans.
Usus: in emplastris; fumi ad fumigandas et fricandas partes rheumatismo vel arthritide chronica obsessas.

Mel.

Mel. *Honig.*

Apis mellifica.

Substantia saccharina, spissiuscula, e nectariis florum ab apibus collecta, et in earum corpore quodammodo modificata.

Mel album s. virgineum. *Weifser Honig. Jungfernhonig.* Mel sponte e favis juniorum apium effluens.

Mel commune s. flavum. *Gemeiner Honig.* Mel calore et pressione e cellulis ceraceis apium elicitum.

Vis: resolvens, bechica, sublaxans, maturans.

Usus: in tussi catarrhali, alvi segnitie; externe ad maturandos ac depurandos abscessus, etiam clysmatibus eccoproticis utiliter additur.

Minium. *Mennig.*

Plumbum ustione in oxydum rubrum conversum.

Vis: exsiccans, styptica.
Usus: in emplastris.

Moschus. *Bisam.*

Moschus moschiferus. Animal ex ordine Pecorum, Asiae mediae locos montosos inhabitans.

Massa unctuosa, saporis amaricantis, odoris peculiaris fragrantissimi diu persistentis, secreta in folliculo rotundo, altera parte convexo,

altera concavo, abdomine pone umbilicum sito, quae una cum folliculo siccata, grana refert e rufo nigricantia, in textu celluloso deposita. Eligendus est *Moschus Tunquinensis* e regno Thibetano et Sinico allatus, cuius folliculi, magnitudine ovi gallinacei et ultra, extus pilis brevibus, rigidis, subfuscis obsiti, intus membranula fusca tenera vestiti sunt.

Vis: nervina, incitans, antispastica, sopiens, diaphoretica, totum corpus perfundens.

Usus: in adynamia et ataxia systematis nervosi febres malignas constituentibus, deliriis, subsultibus tendinum, convulsionibus, singultu, vomituritionibus spasticis, inquiete, agrypnia, cute arida urente sese manifestantibus; utut citra febrem in singulis ejusmodi affectionibus spasticis, hystericis tamen non semper convenit; in gangraena nervosa convulsionibus aliisque affectionibus spasticis stipata, moschus ammonio carbonico pyro oleoso nuptus, sacram praebet anchoram (White).

Dosis: grana quatuor ad Scrupulum unum; pro infante granum dimidium ad integrum et ultra, pro ratione aetatis.

Myrrha. *Myrrhen.*

Amyris Kataf Forskäl? *Arbor Arabiae felicis et Aethiopiae.*

Succus resinoso-gummeus, friabilis, levis, suppellucidus, e flavo rubescens, striis albis immixtis, saporis amaro-aromatici, odoris aromatici non ingrati.

Vis: stomachica, incitans.

Usus: in dyspepsia, amenorrhoea, chlorosi, tussi chronica, et ipsa phthisi; externe ad stomacacem, gangraenam, in genere ad depurandos abscessus.

Dosis: pulveris et extracti grana quatuor, ad grana sex. Plethoricis nocet.

Natrum carbonicum crudum s. Soda s. Alkali minerale crudum. *Rohes kohlensaures Natrum* oder *rohe Soda* oder *rohes Mineralalkali.*

Natrum carbonicum crudum in Aepypto, Sibiria, Hungaria in lacubus sponte exsiccatis, copiose efflorescit. Natrum carbonicum crudum Hispaniae (Soda Hispanica) concrementum refert e cinereo caeruleum, durum, porosum, e combustis plantis maritimis, obtentum. Hodie natrum carbonicum crudum plerumque è Natro sulphurico, in officinis salinariis obtento, ope ustionis cum carbone et calcaria ab acido sulphurico liberato, parari solet.

Usus: vide Natrum carbonicum depuratum.

Natrum muriaticum seu Sal culinare. *Küchensalz.*

Paratur in officinis salinariis nostris, per evaporationem Muriae.

Vis: refrigerans, incitans absque aestu, sublaxans.

Usus: in haemoptysi laudatur; clysmati-

bus eccoproticis additur; abusus scorbutum gignit.

Dosis: Cochlear parvum, immo majus unum et alterum in haemoptysi.

Natrum sulphuricum crudum. *Rohes schwefelsaures Natrum.*

(Sal mirabile Glauberi. *Glaubers Wundersalz).*

Paratur in officinis chemicis e residuis destillationis acidi muriatici nec non coctionis natri muriatici.

Sal in frustis crystallinis, pellucidis, in aere fatiscentibus, albis, in aquae tribus fere partibus solvendis, sapore amaricante refrigerante.

Vis ac usus: vid. depuratum.

Nuces Juglandes immaturae. *Unreife Wallnüsse.*

Juglans regia. Arbor apud nos culta.

Vis: corticis exterioris fructuum stomachica, anthelmintica.

Nuces moschatae. *Muscatennüsse.*

Myristica moschata.

Nuclei oleosi, subrotundi, ponderosi, extus cinerii, intus e fusco rubentes, saporis aromatici suavis, odoris fragrantissimi.

Vis: stomachica, nervina.

Usus: *in dyspepsia, diarrhoea.*
Dosis: *grana decem, viginti.*

Nuces Vomicae. *Krähenaugen.*

Strychnos Nux Vomica. Arbor Zeylanica et Malabarica.

Semina orbiculata, compressa, tenacia, villis e çinereo-argenteis splendentibus obsita, virulenta, saporis summe amari.

Vis: *narcotica, anodyna, anthelmintica, antiparalytica, nimia dosi vomitum, convulsiones et denique stuporem inducens.*
Usus: *in febribus intermittentibus, in melancholia, dysenteria, doloribus spasmodicis abdominis et paralysi.*
Dosis: *pulveris grana sex ter die.*

Oleum animale foetidum s. Oleum Cornu Cervi foetidum. *Stinkendes Thieröl. Hirschhornöl.*

Paratur in officinis chemicis e variis animalium partibus destillatione sicca.

Oleum empyreumaticum, spissiusculum, e fusco nigrum, opacum, odore foetidissimo. Sit consistentia non nimis spissa.

Usus: *externus ad dissipandos tumores duros frigidos glandularum, tophos arthriticos; interne in Epilepsia, Hysteria ac aliis nervorum turbationibus.*
Dosis: *guttulae quatuor pluries die.*

Oleum Anisi. *Anisöl.*

Destillatum e pedicellis et seminibus Pimpinellae Anisi Linn. plantae annuae orientalis in Europa cultae.

Oleum aethereum flavescens, graveolens, saporis subdulcis. Calore + 5—8° massam crystallinam exhibens. P. sp. = 0,985.

Vis: carminativa.
Dosis: guttulae quatuor.

Oleum Bergamottae. *Bergamotöl.*

Praeparatum officinarum technicarum e Citri Aurantii varietatis fructibus.

Oleum aethereum subfusco-flavum, fragrans. Pond. spec. = 0,886.

Usus: utplurimum odoris gratia admiscetur.

Oleum Cajeputi. *Cajeputöl.*

Melaleuca Cajeputi Roxb. Arbor Indiae orientalis.

Oleum aethereum tenue, in Malabaria et insula Banda e foliis destillatum, origine flavescens, limpidum, odoris fragrantis camphoracei, saporis aromatici cardamomei, plerumque colore viridi conspicuum. Pond. spec. = 0,926.

Vis: nervina, antispastica, exaestuans.
Usus: in Cardialgia et aliis affectionibus dolorificis spasticis, hysteria; externe

ad paralysin, dentes cariosos dolentes, et cophosin adhibetur.

Dosis: guttae quatuor ad decem saccharo exceptae.

Oleum Carvi. *Kümmelöl.*

Praeparatum e seminibus Cari Carvi, plantae perennis Europae.

Oleum aethereum pallide flavum, graveolens, gravitatis specificae = 0,905.

Vis: carminativa.

Oleum Caryophyllorum. *Gewürznelkenöl.*

Destillatione paratur e Caryophyllis in India orientali.

Oleum aethereum spissiusculum, recens subflavescens, deinde in fuscum colorem vergens, fragrans, saporis aromatici urentis. P. sp.=1,030.

Oleum Cassiae cinnamomeae. *Zimmetcassienöl.*

Paratur destillatione e Cassia cinnamomea in India orientali.

Oleum aethereum flavum; fragrans, saporis dulcis urentis, aqua gravius. P. sp. = 1,071.

Oleum Cinnamomi acuti. *Zimmetöl.*

Paratur destillatione e cortice Lauri Cinnamomi in India orientali.

Oleum aethereum flavum, grate fragrans, saporis primum dulciusculi, postea urentis. P. sp. = 1,044.

Oleum de Cedro. *Cedroöl.*

Citri medicae Varietas.

Oleum aethereum fragrans, subflavescens, e sacculis oleosis corticum fructus maturi expressione obtentum. P. sp. = 0,856.

Vis: exaestuans, carminativa, analeptica.
Usus: utplurimum odoris gratia additur.

Oleum Crotonis. *Crotonöl.*

Praeparatur in India orientali e seminibus Crotonis Tiglii Linn. fruticis praesertim in Insulis Moluccis frequens.

Oleum unguinosum, principio acri mixtum, spississculum, e flavo fuscum, saporis acerrimi.

Vis: purgans, summe drastica.
Usus: in obstructione ventris rebelli.
Dosis: guttula dimidia ad integram.

Oleum Jecoris Aselli. *Leberthran.* +

Paratur e jecore Gadi Morrhuae Linn. piscis in mari septentrionali frequentissimi.

Oleum animale pingue rancidum, coloris pavi, odoris ingrati. Sit limpidum ac transflarens.

Vis: laxans, diaphoretica, leniens.

[illegible]
2) Eine zweite Art wird durch Auskochen der Leber gewonnen.
3) Eine dritte durch Ausbraten der Leber.

Usus: *in rheumatismo, neuralgia, arthritide.* Imprimis vero in scrophulosi ac quidem in morbo scrophuloso ossium ut Paedarthrocace et Spondylarthrocace et in Atrophia mesaraica

Dosis: *infantibus drachma, adultis uncia dimidia, pluries die.*

Oleum Laurinum unguinosum. *Lorbeeröl.*

Laurus nobilis.

Oleum unguinosum, e Lauri baccis recentibus exprimendo, vel coquendo in Aqua obtentum, e flavo viride, spissum, quasi granulatum, odoris laurini.

Vis: *nervina, excitans, carminativa.*

Usus: *externus in colica flatulenta, ad dolores post partum, in paralysi.*

Oleum Lavandulae. *Lavendelöl.*

Destillatione ex herba florente Lavandulae, in Gallia meridionali praesertim paratur.

Oleum aethereum viridi-flavescens, fragrans; gravitatis specificae = 0,898.

Oleum Lini. *Leinöl.*

Expressione paratur e seminibus Lini usitatissimi Linn.

Oleum unguinosum, fusco-flavum.

Oleum Macidis. *Muskatblüthöl.*

Destillatione e macide in India orientali paratur.

Oleum aethereum, spissiusculum, flavescens, fragrans, odore Macidis. P. sp. = 0,948.

Vis: nervina, in specie stomachica.
Dosis: guttula una et altera pluries die.

Oleum Menthae piperitae. *Pfeffermünzöl.*

Paratur destillatione e herba florente Menthae piperitae.

Oleum aethereum album aut flavescens, odoris fragrantissimi, in lingua sensum frigoris excitans, P. sp. = 0,920. Praestat ex Anglia allatum.

Oleum Nucistae. *Muskatöl.*

(Balsamum Nucistae. *Muskatbalsam).*

Paratur expressione e nucleis Myristicae moschatae Linn. in India orientali.

Oleum aethereo-unguinosum, compactum, e fusco et albo variegatum, aqua levius, fragrans, in aethere fervente sulphurico solubile solutione pellucida.

Oleum Olivarum. *Olivenöl. Baumöl.*

Olea Europaea. Arbor Europae meridionalis.

Oleum unguinosum subviride, e fructibus fere maturis expressum, odoris dum recens est, plane expers.

Vis: emolliens, laxans.

Usus: in linimentis, inunctionibus, emplastris, clysmatibus, ad necanda insecta intra aures ingressa.

Oleum Papaveris. *Mohnöl.*

Paratur e seminibus Papaveris somniferi expressione.

Oleum unguinosum, flavescens, sapore dulci, odore fere expers.

Oleum Petrae s. Petroleum. *Steinöl.*

Bitumen liquidum, oleum aethereum referens, flavum aut rubescens, plerumque e rupium fissuris stillans, et in fontibus aquae innatans. In oleis, nequaquam in Spiritu Vini quem innatat, solubile. Ex Italia et Gallia advenitur.

Vis: exaestuans, diuretica, discutiens, anthelmintica?

Usus: in phthisi ulcerosa? externe ad dysuriam atonicam perinaeo infricatur, nec minus ad perniones sanandos adhibetur, aliosque tumores duros frigidos.

Dosis: rectificati guttae decem ad quindecim.

Oleum Ricini. *Ricinusöl.*

Paratur expressione e seminibus variarum Ricini specierum, in India occidentali et Gallia.

Oleum unguinosum, album aut subflavum, in Spiritu vini rectificatissimo solubile, inodorum, sapore miti non acri. P. sp. = 0,954.

Vis: tutissime purgans.
Usus: in obstipatione alvi, Ileo.
Dosis: Cochlear unum, vel plura successive, usque ad effectum desideratum.

Oleum Rorismarini. *Rosmarinöl.*

Destillatione ex herba florente paratum.

Oleum aethereum, lucide flavum, graveolens. P. sp. = 0,930.

Oleum Succini crudum. *Rohes Bernsteinöl.*

Paratur in officinis chemicis destillatione sicca Succini.

Oleum empyreumaticum, fuscum, odore bituminoso.

Oleum Tanaceti. *Rainfarnöl.*

Destillatione e herba florente Tanaceti vulgaris paratur.

Oleum aethereum flavescens, graveolens. P. sp. = 0,932.

Oleum Terebinthinae. *Terpentinöl.*

Destillatum e Terebinthina communi et laricina.

Oleum aethereum album, graveolens.

Oleum Thymi. *Thymianöl.*

Destillatione e herba florente Thymi vulgaris Linn. obtinetur.

Oleum aethereum album aut rubescens, fragrans. P. sp. = 0,902.

Nota. De Vi, usu ac dosi oleorum supra allatorum, tum unguinosorum, tum aethereorum et empyreumaticorum, conferatur nota generalis in Parte Secunda Pharmacopoeae, loco, quo de oleis rectificatis et vulgo non venalibus agitur.

Olibanum s. Thus. *Weihrauch.*

Boswellia serrata. Arbor in montibus Indiae orientalis crescens.

Resina granulosa, subdiaphana, ex albido lutescens, fragilis, saporis subamaricantis, odoris, dum accenditur, fragrantis.

Usus: in suffimentis.

Opium. *Mohnsaft.*

Papaver somniferum. Planta annua, in Oriente et Aegypto culta.

Succus lacteus, resinoso gummeus, e pericarpiis semimaturis vulneratis stillans, condensatus, in glebas ponderosas formatus, coloris e flavido fusci, principio summe narcotico perdives, saporis acris amari, odoris fortis nauseosi, in pauca Aqua majori ex parte solubilis.

Vis: exaestuans, antispastica, anodyna, con-

fortans animum, narcotica, diaphoretica, obstipans.

Usus: in multifariis affectionibus spasticis, praeprimis dolorificis, ante operationes chirurgicas, in diarrhoeis absque materia, cholera, dysenteria, in stasibus inflammatoriis domato prius sanguine, in mania agrypnia potatorum, in agrypnia ex irritatione, in tetano, in Vomitu nimio ex sumta Ipecacuanhae, vel tartari stibiati nimia dosi. Externe cum saliva vel axungia ad dolores topicos infricatur, oculis post inflammationem instillatur, clysmatibus in tenesmo additur.

Non convenit plethoricis et obstipatis.

Dosis: pulveris grani pars quarta, ad grana duo, pro re nata sat propinquis iteratis vicibus.

Oxalium s. Sal Acetosellae. *Sauerkleesalz.*

Oxalis Acetosella et Rumex acetosa.

Plantae perennes, prior in silvis umbrosis, posterior in pratis frequens, nec non in hortis culta.

Sal essentiale acidulum, e succo expresso et clarificato ope crystallisationis obtentum, ex acido oxalico praevalente, kali et aqua constans.

Vis: temperans, majori dosi damnifera, immo lethalis.

Usus: utut reagentis.

Phosphorus. *Phosphor.*

In officinis chemicis paratur.

Substantia compacta, lenta, tenax, recens flava, subpellucida, tempore superficie alba pulverulenta obducta, loco obscuro lucens, temperatura media in aëre fumum album alliacei odoris spargens; sub aqua caute servanda.

Vis: *fortiter incitans, analeptica, adurens.*

Usus: *in desperata virium prostratione febrium malignarum comite, in Epilepsia, Mania, et Melancholia attonita, in paralysi; externe forma linimenti ad tumores frigidos.*

Dosis: *granuli pars tertia vel dimidia, Aethere sulphurico soluta, addito olei aetherei Caryophyllorum, vel alius paululo, omni trihorio.*

Piper album. *Weiſser Pfeffer.*

Piper nigrum. Frutex Indiae orientalis.

Baccae maturae, globosae, cortice exteriore liberatae, albae, durae, minus acres quam sequentes.

Piper nigrum. *Schwarzer Pfeffer.*

Baccae immaturae, globosae, cortice exteriore nigro rugoso vestitae, durae, sapore acri.

Vis: *utriusque incitans, stomachica.*

Usus: *integri albi non contemnendus in anorexia et tarda digestione.*

Dosis: pulveris Scrupulus dimidius, integri albi granula numero sex ad duodecim ter de die.

Pix liquida et navalis. *Theer und Pech.*

Pinus Abies et silvestris. Arbores frequentissimae in silvis borealibus, in Belgia cultae.

Pix liquida resina, ignis ope e ligno sicco pini destillando per descensum eliquatur. Liquidum est tenax, nigrum, plerisque ingrate olens, saporis amari.

Usus: in Scorbuto Aqua picea laudatur ad Uncias octo vel duodecim ventriculo vacuo; externe pix liquida forma emplastri ad dolorem faciei Fothergilii adhibetur.

Pix navalis resina, quae vel sub destillatione picis liquidae habetur, vel dein ex eadem paratur, est firma, fragilis, calore leni liquescit, flammae admota ardet fumo nigro et odore resinoso suffocante.

Usus: in emplastris.

Platinum. *Platina.*

Metallum colore argenteo, nitoris eximii, quam maxime ductile, et Acido nitrico-muriatico solubile.

Plumbum aceticum crudum. *Rohes essigsaures Blei.*

(**Saccharum Saturni.** *Bleizucker*).

Praeparatum officinarum chemicarum e plumbo oxydato et aceto destillato. Caute serva in vasis clausis.

Poma acidula. *Säuerliche Aepfel.*

Pyrus Malus. Arbor Europae in hortis culta.

Vis: nutriens, refrigerans.
Usus: in potu et unguentis.

Poma Aurantiorum immatura. *Unreife Pomeranzen.*

Citrus Aurantium.

Fructus immaturi siccati, e viridi nigrescentes, aromatici, amari.

Vis: stomachica, nervina.
Usus: ad ventriculum roborandum, nervos refocillandum.
Dosis: pulveris scrupulus unus ad drachmam dimidiam. Utiliter drachma una pulveris infunditur cum Aquae frigidae Unciis sex, quibus sepositis per horas sex et decantatis, additur Vini generosi rubri Uncia dimidia et sacchari quantum satis. Externe fonticulis inserviunt.

Poma Citri. *Citronen.*

Citrus medica.

Vis: *Corticis oleo aethereo scatentis exaestuans, carminativa.*

Usus: *pro condimento. De Succo vid. infra.*

Radix Althaeae. *Eibischwurz. Altheewurzel.*

Althaea officinalis.

Radix perennis, teres, intus alba, multa mucilagine repleta. Autumno colligenda.

Vis: *emolliens, involvens.*

Usus: *in tussi, in diarrhoeis ad defendendum intestina muco orbata.*

Dosis: *Drachmae duae vel tres sufficiunt pro decocto Librae unius.*

Radix Angelicae. *Angelikwurzel.*

Angelica Archangelica. Planta biennis Norwegiae et Lapponiae, in hortis culta.

Radix fragrans, fibrosa, capite oblongo crasso, extus e flavo rubens, in superficie segmentorum transversorum alba, maculis numerosis flavis, oleo aethereo repletis, punctata. Bienni aetate verno tempore colligenda.

Vis: *excitans, diaphoretica.*

Usus: *in febribus adynamicis, nervosis.*

Dosis: *pulveris grana quindecim ad viginti. Optime infunditur Uncia dimidia aut integra cum sufficiente Aqua ad Colaturam Unciarum octo, quarum omni bihorio propinatur Uncia dimidia aut integra.*

Radix Ari. *Aronswurzel.*

Arum maculatum. Planta perennis Germaniae.

Radix tuberosa subrotunda, alba, crassitie partis dimidiae pollicis; recens sapore acerrimo, siccata autem, acredine fere orbata, farinosa. Autumno colligenda.

Vis: nutriens, stomachica.
Dosis: radicis siccatae Scrupulus unus, recentis grana tria ad Scrupulum dimidium.

Radix Armoraciae s. Raphani rusticani. *Meerrettig.*

Cochlearia Armoracia. Planta perennis pratensis Germaniae, frequenter culta.

Radix cylindrica, albida, succulenta, oleo aethereo summe volatili peracri turgida.

Vis: irritans, incidens, stomachica, antiscorbutica.
Usus: externe uti rubefaciens adhibetur.

Radix Arnicae. *Wohlverleihwurzel.*

Arnica montana.

Radix fibrosa, fusca, subamara, subacris. Vere colligenda.

Vis: nervina, subtonica.
Usus: in diarrhoea febrium nervosarum comite, in Dysenteria chronica.
Dosis: Uncia dimidia vel integra aqua decocta ad Colaturam Unciarum octo, omni bihorio cochleatim propinatur.

Radix Artemisiae. *Beifufswurzel.*

Artemisia vulgaris Linn. Planta perennis in Germania frequens.

Radix conica, inflexa, apice in fibrillas plures longas divisa, deorsum fibrillas copiosissimas elongatasque emittens, longitudinaliter quodammodo rugosa, colore extus fusco, intus albo, odore terreo, sapore subdulci, mucilaginoso, demum acri. Adhibendae tantum fibrillae tenuiores, et radix non lavanda. Colligenda autumno aut vere.

Vis: *nervina, diaphoretica? emmenagoga?*

Usus: *in Epilepsia. Chorea SS. Viti?*

Dosis: *Drachma dimidia vel integra pulveris recentis dum instat insultus, hoc incerto, pluries die.*

Radix Bardanae. *Klettenwurzel.*

Arctium Lappa. Planta biennis ubique obvia.

Radix ramosa, levis, spongiosa, extus nigricans, intus albida, saporis ex acri subdulcis. Aetate bienni, verno tempore colligenda.

Vis: *attenuans, alterans.*

Usus: *in variis cutis maculis, rheumatismo, lue venerea?*

Dosis: *Decocti e radicis Unciis duabus cum aquae sufficiente quantitate ad Colaturam librae unius parati, pro die sufficit.*

Radix Belladonnae. *Belladonna-wurzel.*

Atropa Belladonna.

Radix sublignosa, ramosa, geniculata, sordide lutea, summe venenosa. Verno tempore colligenda.

Vis ac Usus: uti herbae; dosi minore.

Radix Calami. *Kalmuswurzel.*

Acorus Calamus. Planta perennis palustris Germaniae.

Radix amaro-aromatica, fragrans, geniculata, spongiosa, crassitie pollicari, extus rubens, intus alba. Colligenda aut vere aut autumno.

Vis: nervina, confortans, stomachica, antiscorbutica.

Usus: in anorexia, dyspepsia, febribus malignis, in rheumatismo, scorbuto, reconvalescentia.

Dosis: pulveris Scrupulus unus omni bihorio; Infusi ex uncia una radicis cum Aqua ad Colaturam unciarum octo parati, Cochlearia duo omni trihorio.

Radix Caricis arenariae. *Sandriedgraswurzel.*

Carex arenaria. Gramen perenne, in arenosis Germaniae frequens.

Radix praelonga, repens, articulata, nodosa, extus rubens, intus alba, saporis subdulcis farinacei, odoris terebinthinei. Colligatur vere.

Vis: diuretica, diaphoretica.
Usus: in exanthematibus chronicis.
Dosis: Uncia una et dimidia pro decocto Librae unius.

Radix Caryophyllatae. *Nelkenwurz.*

Geum urbanum. Planta perennis frequens.

Radix fibrosa, fusca, intus rubens, recens odore et sapore aromatico, subcaryophyllaceo praedita. Colligenda primo vere, locis aridis.

Vis: incitans, nervina, adstringens.
Usus: in febribus asthenicis et intermittentibus.
Dosis: pulveris Drachma dimidia.

Radix Cichorei. *Cichorienwurzel.*

Cichoreum Intybus. Planta biennis Germaniae, frequenter culta.

Radix ramosa, subflava, crassitie pollicis, lactescens, saporis amaricantis. Coll. mensibus Martio et Aprili.

Vis: resolvens, incitans organa digestionis, aperiens.
Usus: in morbis gastricis forma Ptisanae?

Radix Colchici. *Herbstzeitlosenwurzel.*

Colchicum autumnale. Planta perennis in pratis depressis Europae australis.

Radix bulbosa, solida, carnosa, ab altera parte convexa, ab altera plana, cum levi scapi

impressione, extus tunica pulla vestita, intus alba, odoris fortis, nares ferientis, nauseosi, saporis, dum recens est, acris. Colligenda mensibus Septembri et Octobri.

Vis: incidens, diuretica, emetica.

Usus: in tussi, hydrope; in arthritide praeclarus.

Dosis: pulveris granum unum.

Radix Colombo. *Colombowurzel.*

Menispermum palmatum Lamarck. Planta dioica Africae orientalis.

Radix lignosa, extus subfusca, rugosa, intus e viridi lutea, in taleolas transversim secta, saporis amaro-aromatici. Rejiciantur vermibus perforatae.

Vis: sedans tormina, stomachica, confortans.

Usus: in diarrhoea ac dysenteria sine sordibus, in Vomituritione spastica, in lienteria, in genere in nimia irritabilitate tractus intestinorum.

Dosis: pulveris scrupulus unus ad drachmam dimidiam.

Radix Curcumae. *Gelbwurzel.*

Amomum Curcuma Jacquini. *Planta perennis Indiae orientalis.*

Radix oblonga, rugosa, ponderosa, extus lutea, intus intense flava, saporis amaro-aromatici.

Usus: in reagentibus Chemicorum ad detegendum alkalia; in ictero?

Radix Cynoglossi. *Hundszungenwurzel.*

Cynoglossum officinale. Planta biennis Germaniae.

Radix longa, crassa, graveolens, Semtembri effodienda.

Usus: in massa pilularum de Cynoglosso.

Radix Dauci. *Möhre. Mohrrübe.*

Daucus Carota, var. *sativa. Planta biennis Germaniae, in hortis culta.*

Radix fusiformis, e flavo rubens, esculenta, succo dulci repleta.

Vis: nutriens, demulcens, laxans, anthelmintica.

Usus: Succi inspissati (Roob) in tussi, contra Vermes; externe radices rasae cancro impositae, foetorem ac dolorem mitigant.

Radix Filicis. *Farnkrautwurzel.*

Aspidium Filix Mas Swartzii. *In Silvis Germaniae frequens.*

Radix magna, extus subfusca, intus pallide virescens, sapore e dulci subadstringente, dein subamaricante, odore, si recens est, subnauseoso. Colligenda aut Vere, aut Autumno, ultra annum unum non asservanda.

Vis: anthelmintica.
Usus: contra taeniam.
Dosis: pulveris Drachmae duae ad tres, immo quatuor brevissimis intervallis inglutiuntur, superaddito exinde purgante fortiore.

Radix Galangae. *Galgantwurzel.*

Alpinia Galanga Roxb.? Planta perennis Indiae orientalis et Chinae.

Radix nodosa, teres, dura, crassitie digiti, extus e fusco rufa, intus rubicunda, saporis acris amaricantis, odoris aromatici.

Vis: stomachica, incidens, nervina.
Usus: in dyspepsia, in Vomitu navigantium?
Dosis: Scrupulus dimidius ad integrum.

Radix Gentianae rubrae. *Rother Enzian.*

Gentiana lutea. Planta perennis Alpina.

Radix crassitie pollicis et quod excurrit, extus e rubro fusca, intus aurantiaca, saporis intense amari. Cave, ne radices Veratri albi immixtae sint.

Vis: tonica, stomachica, bilis inertiam corrigens.

Usus: in Atonia Ventriculi, et Acore succi gastrici, nec non in aliis vitiis a laxitate et inertia intestinorum oriundis. Usus pulveris rarus, optime infunditur.

Radix Graminis s. Graminis albi. *Quecken. Päden.*

Triticum repens. Gramen perenne, agros obsidens.

Radix repens, tenuis, articulata, alba, succo dulci repleta. Vere, aut autumno seriori colligenda.

Vis: attenuans, resolvens, laxans, alterans.
Usus: Succi expressi et Mellaginis in obstructione viscerum, in variis efflorescentiis cutis, inprimis furunculis.
*Dosis: Cochlear unum bis de die mellaginis. Radix praeterea*in decocto propinatur, et clysmatibus inservit.*

Radix Helenii s. Enulae. *Alantwurzel.*

Inula Helenium. Planta perennis montana Germaniae et Helvetiae.

Radix carnosa, mucilaginea, extus fusca, intus alba, saporis ex acri amaricantis, subnauseosi, odoris subaromatici. Vere aut autumno colligenda.

Vis: excitans, diaphoretica.
Usus: in catarrho chronico, anorexia, in ptyalismo et tremore artuum ex incauto Hydrargyri usu? Externe in scabie forma unguenti et lavationis.
Dosis: pulveris drachma dimidia, decocti ex uncia dimidia cum aqua ad Colaturam Unciarum sex parati, Cochlear unum et alterum omni bihorio.

Radix Hellebori albi. *Weiſse Nieſswurz.*

Veratrum album. Planta perennis montana Germaniae meridionalis.

Radix conico-cylindrica, extus fusca, intus alba, saporis acerrimi urentis, trita sternutationem vehementer excitans.

Vis: purgans, drastica, emetica, intoxicans, infida.

Usus: in melancholia, mania, epilepsia, in exanthematibus chronicis rebellibus.

Dosis: pulveris granum unum, caute urgente necessitate ascendendo, ad viginti quatuor pro die. Externe ad scabiem et pediculos adhibetur, item ut errhinum.

Radix Hellebori nigri. *Schwarze Nieſswurz. Christwurz.*

Helleborus niger. Planta perennis alpina.

Radix fibrosa, capite subrotundo, fibrillis crassioribus extus nigris, intus albidis, saporis acris, subamari et nauseosi.

Vis: dosi majore drastica, minore deobstruens, resolvens, emmenagoga.

Usus: in obstructione viscerum abdominalium inveterata, melancholia, mania, amenorrhoea, hydrope.

Dosis: Decoctis laxantibus, fibrillarum Scrupulus dimidius ad integrum addi solet; Tincturae, drachma una et ultra propinatur.

Radix Jalappae. *Jalappenwurzel.*

Convolvulus Jalapa. Planta perennis Mexicana.

Radices nigricantes, ponderosae, compactae rugosae, magnae, plerumque subrotundae, vel integrae, vel in taleolas dissectae, compositae e lamellis concentricis, resinosis, fuscis, textu celluloso subfusco distinctis, sapore et odore acri nauseoso.

Vis: purgans non sine torminibus.
Usus: in Colluvie pituitosa et verminosa primarum viarum. Non bene convenit plethoricis, inflammatis et rigidioribus.
Dosis: pulveris Scrupulus unus ad drachmam dimidiam; infantibus grana duo ad quinque.

Radix Imperatoriae. *Meisterwurz.*

Imperatoria Ostruthium. Planta perennis Alpina.

Radix oblonga, nodosa, annulata, nigrescens, saporis ex acri aromatici. Aut vere, aut autumno colligenda.

Vis: excitans, diaphoretica.
Usus: in febribus malignis.
Dosis: pulveris Scrupulus unus, ad drachmam dimidiam.

Radix Ipecacuanhae. *Brechwurzel.*

Cephaëlis Ipecacuanha Willd. Planta perennis Brasiliae.

Radix flexuosa, tenuis, annulis eminentibus inaequalibus numerosis. Constat ex epidermide cinerea, e cortice albicante, fragili, amaro-acri et nauseoso, atque ex parte interiori lignea, subflavescente insipida.

Vis: emetica, dosi minori antispastica, diaphoretica.

Usus: in colluvie Ventriculi; in dysenteria; in tussi; haemoptysi, et asthmate; in haemorrhagiis uteri.

Dosis: scopo vomendi, Scrupulus unus ad drachmam dimidium pulveris, unica, vel quod praestat refracta dosi; scopo derivandi et sedandi, pars octava vel quarta grani, ad granum integrum.

Radix Iridis florentinae. *Florentinische Violenwurzel.*

Iris florentina. *Planta perennis Italiae.*

Radix nodosa, ponderosa, compacta, crassitie pollicis, post resectum corticem alba, punctis subfuscis notata, odore violaceo, sapore amaricante subacri.

Vis: incidens, carminativa, sternutatoria.

Usus: in catarrhis et colluvie pituitosa abdominis, imprimis infantum.

Dosis: pulveris Scrupulus unus, pro infante neonato grana tria et ultra.

Radix Lapathi. *Grindwurzel.*

Rumex obtusifolius Linn. *Planta perennis Germaniae.*

Radix elongata, parum ramosa, superne pollicem crassa, radiculis paucis, extus rubrofusca, intus flavescens, ligno duro, medulla e caule transiente, fatiscente, saporis amari acriusculi, salivam colore croceo imbuens. Colligenda autumno.

Vis: alterans.

Usus: in depravatione humorum cutem foedantium. Scorbuto.

Dosis: Uncia una et altera in decocto aquoso librae unius et dimidiae, pro die.

Radix Levistici. *Liebstöckelwurzel.*

Ligusticum Levisticum. Planta perennis alpina, in hortis medicis culta.

Radix fibrosa, carnosa, extus lutescens, intus albida, saporis et odoris acris aromatici subnauseosi. Vere colligenda.

Vis: excitans, exaestuans, emmenagoga, diuretica.

Usus: in febribus malignis, menstruis suppressis, in hydrope.

Dosis: Uncia dimidia vel integra in infuso aquoso Unciarum octo, propinatur cochleatim omni bihorio.

Radix Liquiritiae. *Süſsholz.*

Glycyrrhiza glabra. Planta perennis Europae meridionalis.

Glycyrrhiza echinata. Planta perennis Russiae meridionalis.

Radix praelonga, cylindrica, lignea, crassitie

pollicis, extus e cinereo fusca, intus flavescens, saporis dulcis, dein amaricantis.

Vis: *involvens, subincidens.*
Usus: *in tussi catarrhali, in acrimonia humorum.*
Dosis: *Uncia una et altera in decocto aquoso Librae unius pro die; pulveris Scrupulus unus.*

Radix Pimpinellae albae. *Weiſse Pimpinellwurzel.*

Pimpinella Saxifraga. Planta perennis in locis arenosis Germaniae.

Radix fibrosa, capite oblongo, crassitie digiti, extus subfusca, intus albida, saporis acris pungentis. Vere colligenda.

Vis: *incidens, excitans, stomachica, diaphoretica.*
Usus: *in morbis catarrhalibus, inprimis faucium, forma gargarismatis.*

Radix Ratanhae. *Ratanhiawurzel.*

Krameria triandra. Frutex Americae meridionalis.

Radix ramosa, crassitie digiti, extus e rubro fusca, intus aurantiaca, saporis peradstringentis.

Vis: *adstringens, roborans.*
Usus: *in fluore albo, haemorrhagiis, praeprimis uteri; diarrhoea chronica.*
Dosis: *Decocti e radicis Drachmis sex cum Aqua ad Colaturam Unciarum octo parati, omni bihorio cochlear unum.*

Radix Rhei. *Rhabarber.*

Species Rhei nondum certo cognita. Plantae perennis Chinae.

Radix ex Imperii Chinensis regionibus allata, extus resecto cortice, ex luteo aut croceo rubens, intus iisdem coloribus, colore albido variegata, conspicua, salivam flavedine tingens, sapore et odore specifico, nauseoso.

Vis: purgans non sine torminibus, calefaciens, stomachica, lotium tingens.

Usus: in saburra pituitosa abdominis, digestione torpida, parva dosi (grana duo) in diarrhoea. Haemorrhoidariis et mictu cruento vexatis, plethoricis et inflammatis non convenit.

Dosis: ad alvum purgandam Drachma dimidia pulveris. Frustulum granorum duodecim aut quindecim, masticatum egregium est digestivum.

Radix Rubiae. *Färberröthe.*

Rubia Tinctorum. Planta perennis Europae mediae, frequenter culta.

Radix tenuis, repens, geniculata, e fusco rubra, tinctoria, saporis adstringentis, subamari. Autumno colligenda.

Vis: diuretica? lotium ac ossa tingens, tonica.

Usus: in amenorrhoea, ictero? atrophia infantum? rhachitide? Spina ventosa?

Dosis:

Dosis: *pulveris Scrupulus ad drachmam dimidiam pluries de die. Uncia dimidia in decocto.*

Radix Salep. *Salepwurzel.*

Orchides variae, inprimis *Orchis Morio, O. militaris et O. mascula. Plantae perennes pratenses.*

Radices ovato-oblongae, tuberosae, subdiaphanae, ponderosae, e subfusco cinereae, e toto mucilagineae. Praestant e China, Syria et Persia allatae.

Vis: *nutriens, involvens, demulcens.*
Usus: *in tabe, phthisi, haemoptysi, in diarrhoea, dysenteria. Solvunt coctionis ope quadraginta octo partes aquae unam partem radicis, ut fiat decoctum mucilaginosum.*

Radix Saponariae. *Seifenkrautwurzel.*

Saponaria officinalis. Planta perennis Germaniae.

Radix fibrosa, submucilaginea, extus rubens, intus flavescens, saporis subdulcis, dein amaricantis, subacris. Cum insipida Lychnidis dioicae radice non confundenda. Vere colligenda.

Vis: *diaphoretica, incidens, resolvens.*
Usus: *in exanthematibus chronicis, obstructione viscerum abdominalium, arthritide.*

Dosis: Unciae duae radicis decoquuntur Aquae Libris quatuor ad consumtionem dimidii, uno die capiendi.

Radix Sarsaparillae. *Sarsaparillwurzel.*

Smilax syphilitica Humboldt. *Frutex in regionibus Orinoco fluvio vicinis Americes meridionalis frequens.*

Radix repens, flexuosa, fragilis, farinacea, crassitie calami scriptorii, subrugosa, extus fusca, intus alba, saporis submucilaginei.

Vis: diaphoretica, alterans.
Usus: in exanthematibus chronicis, imprimis venereis, aliisque ejusdem originis molestiis.

Radix seu Bulbus Scillae. *Meerzwiebelwurzel.*

Scilla maritima. Planta perennis in oris Maris mediterranei frequens.

Bulbus praegrandis, ponderosus, epidermide e fusco rubente tunicatus. Squamae albidae recentes succo mucilagineo peracri turgent, leni calore exsiccatae sapore peramaro praeditae sunt.

Vis: incidens, diuretica, emetica, perfida.
Usus: in blennorrhoea pulmonum, in hydrope, minime vero post Scarlatinam.
Dosis: grani dimidium ad grana quatuor, ter de die.

Radix Senegae. *Senegawurzel.*

Polygala Senega. Planta perennis Virginiae et Pensylvaniae.

Radix superne nodosa, inferne in ramos incurvatos desinens, extus e cinereo lutescens, intus alba, sapore acri pungente.

Vis: incidens, diuretica, purgans, majori dosi emetica.

Usus: in blennorrhoea pulmonum; in pneumonia, fugata plethora; in hydrope; et rheumatismo.

Dosis: pulveris grana decem ad triginta; Decocti ex uncia dimidia cum Aquae Libra una parati, Cochlear unum et alterum omni bihorio.

Radix Serpentariae Virginianae. *Virginische Schlangenwurzel.*

Aristolochia Serpentaria. Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix fibrosa, e viridi lutescens, fibris tenuissimis inter se tricatis, saporis aromatici, odoris fragrantis camphoracei.

Vis: excitans, nervina, diaphoretica.

Usus: praeclarus in febribus nervosis, in se, vel cortici peruviano nuptae.

Dosis: infusi ex uncia dimidia vel integra radicis cum Aquae sufficiente quantitate ad colat. Unc. octo parati, qualibet hora Cochlear unum.

Radix Taraxaci. *Löwenzahnwurzel.*

Leontodon Taraxacum.

Radix fibrosa, extus fusca, intus alba, saporis e dulci amaricantis. Colligatur vere, prior flore.

Vis: resolvens, laxans, incidens, diuretica.
Usus: ad deobstruenda viscera abdominalia, in colluvie pituitosa primarum viarum, in variis morbis cutaneis.
Dosis: Succi expressi Cochlearia duo, mellaginis Cochlear unum et alterum de die.

Radix Tormentillae. *Tormentillwurzel.*

Tormentilla erecta. Planta perennis Germaniae.

Radix nodosa, dura, fibrillis numerosis obsessa, extus e rubro fusca, intus dilute rosea, inodora, saporis peradstringentis. Vere collig:

Vis adstringens, tonica.
Usus: in variis blennorrhoeis ab atonia; externe in decocto ad uvulam laxam, et prolapsum ani.
Dosis: pulveris Scrupulus unus ad drachmam dimidiam.

Radix Valerianae minoris. *Kleine Baldrianwurzel.*

Valeriana officinalis. Planta perennis Germaniae, in montosis colligenda.

Radix fibrosa, capitulo oblongo quodammodo

truncato, fibris subfuscis, tenuibus, hirtis, tenacibus, saporis amaro-acris, odoris gravis, subnauseosi. Colligatur vere, priusquam caules accrescant.

Vis: *nervina, excitans, antispastica, diaphoretica, anthelmintica.*

Usus: *in febribus aliisque affectibus mere nervosis, Chorea St. Viti, Hysteria, Hypochondria, Epilepsia, Vermibus.*

Dosis: *pulveris Scrupulus unus ad Drachmam dimidiam pluries die; Infusi ex Uncia una radicis cum Aquae sufficiente quantitate ad Colaturam Unciarum octo parati, Cochlear unum et alterum omni bihorio.*

Radix Zedoariae. *Zedoarwurzel.*

Curcuma Zedoaria Roscoe. Curcuma Zerumbet Roxburgh. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix tuberosa, ponderosa, extus cinerea, intus subfusca, saporis acris amaricantis, odoris fragrantis, subcamphoracei.

Vis: *stomachica, carminativa.*

Usus: *in dyspepsia et colica flatulenta.*

Radix Zingiberis albi. *Weiſser Ingber.*

Zingiber officinarum Roscoe. Planta perennis Indiae orientalis.

Radix tuberosa, articulata, compressa, ru-

gosa, ponderosa, extus ex albo cinerea, intus alba, saporis peracris, odoris aromatici.

Vis: stomachica, carminativa, sialagoga dum masticatur.

Usus: in anorexia digestione laesa, colica flatulenta.

Resina Guajaci nativa. *Guajakharz.*

Guajacum officinale.

Resina e fusco viridescens, subdiaphana, friabilis, saporis dulcamari acris, prunis injecta odorem spargens haud ingratum. Genuina cum Gummi arabico et Aqua trita, caesio colore tingitur.

Vis: irritans, resolvens, diaphoretica.

Usus: in Arthritide, rheumatismo chronico, obstructione viscerum.

Dosis: pulveris grana decem.

Resina Pini s. Burgundica. *Fichtenharz. Burgundisches Harz.*

Pinus silvestris et Pinus Abies.

Resina aurantiaca, e truncis incisis exsudans, dein indurata et purificata.

Vis: balsamica, adglutinans, rubefaciens.

Usus: cerae flavae aequo pondere admixtae pro suffimento in phthisi pulmonum; in emplastris.

Saccharum album. *Weisser Zucker.*

Saccharum officinarum. Planta arundinacea palustris Indiae orientalis, nunc ubique inter tropicos culta.

Succus principio proprio dulcissimo dives, a mucoso depuratione separatus, et in formam concretam redactus.

Vis: nutriens, incidens, involvens, relaxans, temperans.

Usus: in tussi, rancore Ventriculi, exaestuatione sanguinis.

Saccharum Lactis. *Milchzucker.*

Bos Taurus.

Sal essentiale Seri lactis dulcis, aegre solubile; praesertim in Helvetia paratum.

Vis: nutriens, incidens, diluens, temperans, leniter laxans.

Usus: in phthisi, aliisque morbis pulmonum phlogisticis.

Dosis: Drachma una pluries de die.

Sagapenum. *Sagapengummi.*

Ferula persica? Planta perennis Persiae.

Gummi-resina tenax, pinguis, fusca, granulis albis nitentibus subpellucidis mixta, saporis amaro-acris, odoris suballiacei.

Vis et usus: fere Galbani et Asae foetidae.

Sandaraca. *Wachholderharz.*

Thuja articulata Vahlii. *Arbor Africae borealis.*

Resina in guttis subrotundis, elongatis stillata, ex albido citrina, splendens, pellucida, friabilis, odoris dum accenditur suavis, in Spiritu Vini rectificatissimo e toto, in Oleo Terebinthinae vix solubilis.

Vis et usus: Mastiches, cui est simillima.

Sanguis Draconis. *Drachenblut.*

Colligitur e variis arboribus Indiae orientalis, et insularum Canariensium, nempe e Calamo Dracone Wildenowii, *Pterocarpo Santalino, et Dracena Dracone.*

Massa resinosa, obscure rubra, saporis adstringentis, e fructibus exsudans, iisque superinducta indurescens, quae dein calore emollita in globulos vel bacillos formatur.

Vis: adstringens.
Usus: in pulveris stypticis ad haemorrhagias ex vulnere.

Sapo Hispanicus albus. *Spanische Seife.*

Sapo domesticus nostras. *Talgseife.*

Sapo hispanicus fit coquendo Oleum Olivarum cum Lixivio Natri caustici. Sapo domesticus paratur, coquendo Sevum cum Lixivio Kali

caustici, et addendo sub finem Natrum muriaticum. Usui externo solummodo inserviunt, dum ab opificibus non satis puri parari soleant.

Scammonium Halepense. *Scammonium von Aleppo.*

Convolvulus Scammonia. Planta perennis orientalis, praesertim in Syria frequens.

Succus gummeo-resinosus, concretus, cinereus, levis, friabilis, in fractura nitens, madefactus lactescens, odoris nauseosi, saporis acris urentis.

Vis: drastica, exaestuans.
Usus: ubi fortiter purgari debet, auctus calor vero non est timendus.
Dosis: grana quinque ad decem.

Secale cornutum. *Mutterkorn.*

Semina monstrosa Secalis cerealis Linn.

Grana cylindrica, plerumque curvata, extus colore violaceo, intus farinosa, colore livido, sapore subacri.

Vis: insalubris, toxici instar, specifice uteri gravidi vel distenti ciens contractiones.
Usus: in partus decursu, ore uteri satis patente, impedimentis mechanicis non praesentibus, doloribus vero deficientibus, ad provocandum contractiones uteri necessarias; in haemorrhagiis ex atonia et distentione uteri.
Dosis: Pulveris scrupulus dimidius, semel vel bis. Decocti ex una drachma Secalis

cum aqua, ad colaturam unciarum quatuor parati, tertia pars omni quadrihorio, vel cochlear unum quovis minutorum horae decem decursu finito.

Semen Amomi. *Englisch Gewürz. Nelkenpfeffer.*

Myrtus Pimenta. Arbor in India occidentali frequens.

Baccae immaturae globosae, aromaticae, odoris et saporis caryophyllacei, post exsiccationem fuscae, pericarpiis rugosis cinctae.

Vis: irritans, calefaciens, stomachica.
Usus: maxime culinaris.

Semen Anethi. *Dillsamen.*

Anethum graveolens. Planta annua in Europa meridionali sponte nascens.

Semina ovata, striata, compressa, superficie altera plana, altera convexa, margine membranoso, dilute fusca, odoris fragrantis, saporis aromatici calidi.

Vis: carminativa, calefaciens, lactifera.
Usus: idem ac seminum Carvi et Foeniculi.
Dosis: grana viginti ad drachmam dimidiam.

Semen Anisi stellati. *Sternanies.*

Illicii species, Illicio anisato perquam similis, in insulis Philippinis crescens.

Pericarpia stellata, coriacea, fusca, semini-

bus ovatis nitidis repleta, odoris aromatici grati, saporis subdulcis.

Vis: irritans, expectorans, carminativa.
Usus: in tussi catarrhali.
Dosis: drachma dimidia.

Semen Anisi vulgaris. *Anies.*

Pimpinella Anisum. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina rotunda, striata, subviridula, saporis subdulcis aromatici.

Vis: calefaciens, carminativa, becchica.
Dosis: drachma dimidia.

Semen Cannabis. *Hanfsamen.*

Cannabis sativa. Planta annua Europae borealis.

Semina rotunda, glabra, oleoso-mucilaginea.

Vis: demulcens, involvens, narcotica?
Usus: in dysenteria, gonorrhoea, stranguria.
Dosis: Uncia una in emulsione cum Aquae Unciis sex.

Semen Carvi. *Kümmelsamen.*

Carum Carvi. Planta perennis pratensis Germaniae.

Semina aromatica, parva, oblonga, striata, e fusco subincana, odoris fragrantis.

Vis: carminativa, lactifera.
Usus: in flatulentia, in deficientia lactis nutricum.

Semen Cinae seu Santonici. *Zitwersamen.*

Artemisia Contra Linn. Fruticulus in Syria et Palaestina frequens.

Semina exigua, oblonga, e flavo viridula, saporis amaro acris, odoris aromatici subnauseosi.

Vis: anthelmintica, nervina?
Usus: contra ascarides lumbricoïdes.
Dosis: pulveris pro infante scrupulus dimidius ad integrum; pro adulto drachma una et altera.

Semen Colochici. *Zeitlosensamen.*

Semina subglobosa, rugosa, nigro-fusca.

Semen Coriandri. *Coriandersamen.*

Coriandrum sativum. Planta annua Europae meridionalis, apud nos culta.

Semina globosa, sublutea, saporis et odoris aromatici non ingrati.

Vis: carminativa.

Semen Cumini. *Römischer Kümmel.*

Cuminum Cyminum. Planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina oblonga, striata, e flavo spadicea, saporis et odoris aromatici subnauseosi.

Vis: calefaciens, carminativa.
Usus: in flatulentia praestantior semine Carvi.

Semen Cydoniorum. *Quittenkörner.*

Cydonia vulgaris. Arbor Cretensis, in hortis et vinetis culta.

Semina oblongo-acuta, nitida, fusca, multa mucilagine cincta.

Vis: involvens, demulcens.
Usus: in collyriis, perperam vero una cum sale metallico.

Semen Erucae. *Weifser Senf.*

Sinapis alba. Planta annua agrestis Germaniae.

Semina parva, globosa, lutescentia, saporis peracris.

Vis: acris, rubefaciens, stomachica.
Usus: in sinapismo.

Semen Foeniculi. *Fenchelsamen.*

Anethum Foeniculum. Planta biennis Galliae, in Germania culta.

Semina oblonga, striata, e cinereo pallida, odoris subaromatici grati, saporis subdulcis.

Vis: carminativa, calefaciens, galactopoietica.
Dosis: pulveris Scrupulus unus.

Semen Foeni Graeci. *Bockshornsamen.*

Trigonella Foenum graecum. Planta annua Europae meridionalis.

Semina subquadrangularia, lutea, dura, mucilaginea, odoris nauseosi.

Vis: emolliens.
Usus: cataplasmatis.

Semen Hyoscyami. *Bilsenkrautsamen.*

Semina minuta, reniformia, e flavescenti grisea. Caute serva.

Semen Lini. *Leinsamen.*

Linum usitatissimum. Planta annua sativa Europae borealis.

Semina ovata, compressa, glaberrima, nitentia, fusca, oleoso-mucilaginosa.

Vis: involvens, leniens, emolliens.
Usus: Infusi in dysenteria, variisque blennorrhoeis; externe ad maturandos abscessus forma cataplasmatis, decocti ad clysmata.

Semen Lycopodii. *Bärlappenpulver.*

Lycopodium clavatum. Cryptogamum (Lycopodeae) in silvis Germaniae frequens.

Pollen subtilissimus flavescens, aquam respuens, flammae injectus fulgurans.

Vis: leniter diuretica, involvens.
Usus: in stranguriis infantum tempore dentitionis, nec non in dysuria haemorrhoidali et rheumatica; externe ad excoriationes.
Dosis: pulveris pro infante grana decem bis die.

Semen Papaveris albi. *Weiſser Mohnsamen.*

Papaver somniferum. Var. *seminibus albis.*

Semina globosa, minima, alba, saporis oleoso-dulcis.

Vis: demulcens, leniens.
Usus: emulsionis vel purae vel simul amygdalinae, non contemnendus in erethismo spastico Ventriculi.

Semen Phellandrii seu Foeniculi aquatici. *Wasserfenchelsamen.*

Phellandrium aquaticum. Planta perennis palustris Germaniae.

Semina ovato-oblonga, striata, e viridi subfusca, graveolentia, subnauseosa.

Vis: irritans, calefaciens, diuretica.
Usus: ad corrigendum pus ulcerum iisque medendum, exulceratione pulmonum aliorumque viscerum non excepta, commendatur.
Dosis: grana decem ad viginti pluries de die.

Semen Sabadillae. *Sabadillsamen.*

Veratrum Sabadilla Retzii. *Planta perennis Chinensis.*

Semina oblongo-acuta, nigra, pericarpio membranaceo fusco inclusa, saporis acerrimi et nauseam moventis, odoris nullius.

Vis: anthelmintica, insectis infesta.

Usus: contra taeniam, ascarides, externe ad cimices, pediculos pellendos.

Dosis: pro infante bis die grana duo cum syrupo vel melle, pro adulto scrupulus unus ad drachmam dimidiam semel die. Dosis praemagna ardorem ventriculi et vomituritiones efficit. Clysma e Decocto seminum contra ascarides efficax praebet remedium. (Schmucker).

Semen Sinapeos. *Schwarzer Senfsamen.*

Sinapis nigra. Planta annua sativa Germaniae.

Semina exigua, globosa, nigricantia, peracria.

Vis: irritans, stomachica, rubefaciens.

Usus: in atonia ventriculi ac intestinorum, indeque orta colluvie pituitosa, in febre nervosa; externe pro collutione ad linguae paralysin, et in sinapismis adhibetur.

Semen Staphidis agriae. *Stephanskörner.*

Delphinium Staphis agria. Planta biennis Europae australis.

Semina grisea, compressa, trigona vel tetragona, incurva, lacunosa, nucleum oleosum, albo-luteum includentia, peramara, peracria.

Semen Stramonii. *Stechapfelsamen.*

Datura Stramonium.

Semina nigra, reniformia, subrugosa, virosa, summe narcotica.

Usus: pro tinctura et extracto vid. infra.

Sevum ovillum s. vervecinum. *Hammeltalg.*

Ovis Aries.

Pinguedo e capsulis adipalibus renum et omenti eliquata.

Vis: emolliens, defensiva.
Usus: emplastri.

Siliqua dulcis. *Johannisbrot.*

Ceratonia Siliqua. Arbor in Oriente et Europa meridionali frequens.

Siliqua coriacea, compressa, spadicea, longitudine quatuor vel quinque pollicum, pulpa dulci, seminibus interjacente, repleta.

Vis: involvens, demulcens, subincidens.

Usus: in tussi catarrhali.

Spongia marina. *Badeschwamm.*

Spongia officinalis. Zoophyton Maris mediterranei et Maris rubri.

Spongia sublutescens, levis, mollis, foraminibus exiguis pervia.

Vid. Spongia usta.

Stannum. *Zinn.*

Metallum album, ductile, molle, cum Acido nitrico Oxydum album valde refractarium constituens. Pond. specific. fere 7, 3.

Vis: anthelmintica.

Usus: rasurae contra taeniam.

Dosis: Uncia una pro die cum Mellis vel Syrupi Unciis quatuor. Sed cave ne plumbum insit.

Stibium sulphuratum nigrum s. Antimonium crudum. *Schwefelspiefsglanz.*

Minera Stibii sulphurati, per eliquationem in vasis clausis a matrice purgata, et crystallis acicularibus nitentibus conspicua.

Stibium sulphuratum nigrum selectum, addita aqua in subtilissimum pulverem lapide

laevigatorio redactum exhibet *Stibium sulphuratum nigrum laevigatum* seu *praeparatum.*

Vis: alterans, diaphoretica.

Usus: in variis cutis deformationibus et efflorescentiis chronicis, nec non in arthritide.

Dosis: Drachma dimidia pro adulto; pro infante grana nonnulla. Nimium, vomitum ciet.

Stipites Dulcamarae. *Bittersüſsstengel. Alpranken.*

Solanum Dulcamara. Frutex scandens, in silvaticis paludosis Germaniae frequens.

Rami biennes vel triennes, cortice tecti e cinereo subfusco, sapore e dulci amaro-acri, odore subnarcotico.

Vis: nauseans, diaphoretica, narcotica.

Usus: in herpete, aliisque cutis vitiis, rheumatismo chronico, arthritide.

Dosis: Infuso-decocti e stipitum Uncia dimidia cum Aquae Libris duabus ad Colaturam Librae unius et dimidiae parati, vasculum omni bi-vel trihorio.

Strobili Lupuli. *Hopfen.*

Humulus Lupulus. Plantae dioicae perennis Germaniae foemina.

Amenta foeminea matura, saporis amari non ingrati, odoris aromatici, subnarcotici.

Vis: calefaciens, stomachica, diuretica, subnarcotica.

Usus: optimum cerevisiae condimentum. Externe in sacculis uti discutiens adhibetur, et ad somnum conciliandum. Plura vid. de extracto.

Styrax liquidus. *Flüssiger Storax.*

Succus e ramis Liquidambaris Styraciflua Linn. arboris Americae septentrionalis eliquatus.

Balsamum nativum spissum, e viridi fuscum, opacum, graveolens, saporis aromatico-acris.

Vis: discutiens, consolidans.
Usus: externus.

Succinum. *Bernstein.*

Bitumen solidum, pellucidum, fragile, citrinum aut flavum, carbonibus impositum gratum odorem specificum spargens; in destillatione Acidum concretum proprium exhibens. Colligitur maxima ex parte in oris Maris Baltici, praesertim ubi Borussiae et Pomeraniae littora alluit.

Usus: pro fumigatione in doloribus rheumaticis et arthriticis.

Succus Citri. *Citronensaft.*

Citrus Medica. Arbor Europae australis, apud nos in hibernaculis culta.

Succus acidus, e parte carnea fructus penitus maturi expressus.

Vis: attenuans, temperans, antiscorbutica.

Usus: in Scorbuto; in febribus acutis, imprimis gastricis, utiliter potui admiscetur; ad compescendum vomitum spontaneum inanem commode inservit, evolvendo Gas carbonicum e Kalinis, statim in effervescentia hauriendum. Externe ad decubitum avertendum prodest.

Succus Dauci crudus. *Roher Möhrensaft.*

Paratur e radicibus **Dauci Corotae Linn.** *plantae biennis Europae frequenter cultae, succum extrahendo et inspissando.*

Succus Liquiritiae. *Lakritzensaft.*

Glycyrrhiza glabra et G. echinata.

Extractum e fusco nigrum, e radicibus recentibus coctione in aqua paratum, et ad siccum fere condensatum, saporis dulcis subacris, in Aqua solubile. Ex Hispania et Sicilia, in massis foliis Lauri obvolutis, ad nos venit. Rejiciatur cupro inquinatum.

Vis: involvens, demulcens, incidens.
Usus: in tussi catarrhali.

Succus Sambuci crudus. *Rohes Fliedermufs.*

Paratur inspissatione succi baccarum Sambuci nigrae Linn.

Sulphur. *Schwefel.*

Corpus solidum, friabile, colore citrino, quod comburendo oxygenio nuptum, acidum sistit sulphuricum. Occurrit nativum, maxima vero parte e minera Ferri sulphurati intenso igne expulsum obtinetur.

Vis: resolvens, laxans, diaphoretica.
Usus: pharmaceuticus, in Scabie.

Sulphur depuratum. *Gereinigter Schwefel.*

(Flores Sulphuris. *Schwefelblumen).*

Praeparatur in officinis chemicis e sulphure sublimatione.

Pulvis subtilissimus coloris citrini.

Tacamahaca vera. *Wahrer Tacamahac.*

Calophyllum Inophyllum Linn. Arbor Indiae orientalis.

Resina bonae notae, ex albo flavescens, saporis subacris aromatici, odoris suaveolentis, e cortice arboris vulneratae exsudans.

Vis: discutiens, consolidans.
Usus: externus.

Tamarindi s. Fructus Tamarindorum. *Tamarinden.*

Tamarindus Indica. Arbor Arabiae et Indiae orientalis.

Pulpa e nigro fusca, seminibus siliquarum interjacens, filamentis lignosis pertexta, saporis acidi grati.

Vis: temperans, alvum laxans.

Usus: in saburra primarum viarum, praesertim biliosa.

Dosis: Unciae duae pro die Aqua fervida vel Sero lactis solutae.

Tartarus crudus. *Weinstein.*

Sal nativum succi baccarum Vitis viniferiae, instar crustae crystallinae parietibus doliorum vinariorum adhaerens, in officinis Galliae depuratus sub nomine Crystallorum Tartari in usum venit. Constat acido tartarico, kali ex parte saturato, et principio tinctorio aliisque heterogeneis immixtis.

Vis et Usus: vid. Tartarus depuratus.

Tartarus depuratus. *Gereinigter Weinstein.*

(Crystalli Tartari. *Weinstein-crystalle*).

(Cremor Tartari. *Weinsteinrahm*).

Paratur in officinis chemicis depuratione **Tartari crudi** *in Europa meridionali.*

Sal compactus, in crystallis duris, albis, saporis acidi, e kali, acido tartarico praevalente et aqua constans.

Terebinthina communis. *Gemeiner Terpenthin.*

Succus e trunco sauciato Pini sylvestris Linn. stillans.

Balsamum naturale fluidiusculum, tenax, sordide flavescens turbidum, odoris peculiaris, saporis amari et acris.

Terebinthina laricina seu Veneta. *Venedischer Terpenthin.*

Succus e Pino larice Linn. arbore Europaea stillans.

Balsamum naturale spissiusculum, tenax, pellucidum, flavescens, saporis amari et acris.

Vis: calefaciens, diuretica, lotio odorem violaceum largiens, pus faciens.

Usus: in gonorrhoea chronica, hydrope et podagra, externe in ulceribus inveteratis impuris, imprimis tibiae, in obstipatione alvi forma clysmatis.

Dosis: Scrupulus dimidius ad drachmam integram.

Turiones Pini. *Fichtenknospen.*

Pinus silvestris.

Gemmae foliaceae, vix exclusae.

Vis: balsamica, antiscorbutica.

V a n i l l a. *Vanilie.*

Epidendron Vanilla Linnaei s. *Vanilla aromatica* Schwarzii. *Planta parasitica scandens Novae Hispaniae.*

Siliquae compressae, longitudine sex fere pollicum, crassitie calami scriptorii, coloris atrofusci, medulla pingui rufescente fartae, odoris balsamici benzoini, saporis aromatici grati.

Vis: calefaciens, analeptica, nervina.

Usus: pro condimento; in debilitate nervosa.

V i n u m. *Wein.*

Vitis vinifera. Frutex in vineis culta.

Succus baccarum Vitis viniferae, post fermentationem vinosam rite peractam, satis diu in doliis asservatus.

In usum pharmaceuticum praecipua veniunt Vinum Gallicum album, Vinum Rhenanum, Vinum Malacense et Lusitanicum album.

Vis: calefaciens, excitans, nervina, inebrians.

Usus: in languore et deficientia vis vitalis; externe ad Contusiones.

V i s c u m a l b u m. *Mistel.*

Viscum album. Fruticulus parasiticus Quercus, Fagi, Tiliae, Pini aliarumque arborum.

Ramuli juniores, una cum foliis ovatis coriaceis, magna glutinis copia repleti.

Vis: diuretica? antepileptica? inviscans, lubricans.

Usus: querni in specie, in epilepsia, in arthritide, scrophulis, alvi et mensium fluxu nimio, Chorea St. Viti; in raucedine chronica.

Dosis: Drachma dimidia ter de die.

Zincum Indicum. *Zink.*

Metallum ex albido caerulescens, rigidum, tenax, calefactum autem malleo obediens. Ignitum sub aëris accessu flammam concipiens, abit in Oxydum album quod calens citrinum tunc album induit colorem. Pond. sp. 6, 8 — 7, 1.

Vis: metalli nulla, de oxydis vid suo loco.

MATERIAE

PHARMACEUTICAE

PARS II^DA

COMPLECTENS PRAEPARATA ET COMPOSITA.

Acetum aromaticum.

(Loco *aceti bezoardici et prophylactici*).

℞. Herbae Absinthii,
Roris marini,
Salviae,
Menthae piperitae,
singularum Uncias duas,
Caryophyllorum,
Radicis Zedoariae,
singularum Unciam dimidiam
Aceti vini crudi Libras octo.

Post sufficientem macerationem blandam in vase vitreo, exprime, colato admisce

Spiritus Roris marini Uncias quatuor.

Vis: excitans, analeptica.
Usus: in Typho, aliisque febribus malignis.
Dosis: Cochlear unum.

Acetum Colchici.

℞. Radicis Colchici autumnalis Partem unam
Aceti vini crudi Partes duodecim.

Radicem in taleolas sectam vase clauso in Aceto frigido sub crebra agitatione digere per quatriduum. Humori decantato adde

Spiritus vini Partem unam

Vase clauso serva.

Vis: *incidens, diuretica.*
Usus: *in hydrope.*
Dosis: *drachma dimidia.*

Acetum concentratum.

℞. Kali carbonici crudi depurati Uncias sedecim,
Aceti vini destillati quantum sufficit ad perfectam neutralisationem.

Evaporent ad Uncias triginta sex, quibus refrigeratis, filtratis et in retortam vitream tubulatam immissis, adde
Mangani oxydati nativi subtilissime triti Uncias duas,
Acidi sulphurici crudi Uncias duodecim,
Aquae destillatae Unciis sex dilutas.

Adaptato vase recipiente et juncturis clausis fiat destillatio ad siccum. Si destillatum acido sulphuroso aut sulphurico aut empyreumate scatet, super
Mangani oxydati nativi pulverati
Kali acetici singulorum Uncia una rectificetur. In vasis bene obturatis serva.

Sit limpidum, coloris expers, ab empyreumate liberum, nec acido sulphuroso nec sulphurico inquinatum, quod odore, aqua hydrosulphurata et liquore barytae nitricae dignoscitur. Pond. specific. = 1,035 — 1,045.

Vis: *analeptica.*
Usus: *in adynamia, asphyxia naribus admovetur, fronti, temporibus et carpo leniter infricatur.*

Acetum Rubi Idaei.

℞. Fructuum recentium Rubi Idaei Libram unam,
Aceti vini crudi Libras duas.

Seponantur in lagena vitrea per mensem, deinde cola et serva.

Vis: temperans.
Usus: ad potum acuendum.

Acetum saturninum.

(*Acetum plumbicum.*)
(*Extractum Saturni.*)

℞. Plumbi acetici crudi Uncias octo,
Lithargyrii Uncias quatuor.

Intime mixta in lagena vitrea infundantur
Aquae destillatae fervidae Unciis sedecim.

Lagena obturata vicissim tam diu agitetur et seponatur usque dum ruber sedimenti color plane evanuerit. Denique filtretur et servetur. Pond. spec. 1,410.

Vis: adstringens, exsiccans, antiphlogistica, discutiens.
Usus: ad inflammationes e causa externa suppurationi non obnoxias, ad adustiones, contusiones, haemorrhoides aliasque varices.

Acetum Scilliticum.

℞. Radicum Scillae siccatarum Uncias duas.
Minutim concisis affundantur
Aceti vini crudi Librae duae.

Macerentur leni calore. Liquor leviter expressus servetur.

Vis: *incidens, diuretica, emetica.*

Usus: *in hydrope.*

Dosis: *drachma dimidia. Utiliter cum amaris miscetur, vel Kali carbonico saturatur.*

Acetum vini destillatum.

Acetum Vini crudum sub additione sedecimae circiter partis **Pulveris carbonum** destillet e retorta vitrea, aut e cucurbita cuprea stanno obducta, munitaque capitello, una cum canali refrigeratorio e stanno puro parato. Liquor primo prodiens, pro ratione Librarum duarum ad batum (ein Anker) auferatur, novo vero exinde adaptato recipiente destillatio continuetur, quam diu quod transit, limpidum sit et ab empyreumate liberum. Pond. spec. 1,008.

Vis: *analeptica, excitans, temperans, diaphoretica, diuretica, antiseptica.*

Usus: *interne in febribus inter potum, in Mania et Melancholia; externe ad sugillationes, inflammationes, sphacelum, ulcera maligna, ad haemorrhagias uteri forma fomentationum et injectionum, ad reserandam alvum forma clysmatis.*

Melius tamen omnibus his indicationibus respondet acetum Vini crudum genuinum, fortius destillato.

Acidum aceticum.

(*Acetum concentratum Westendorfii*).

℞. Natri acetici leni calore bene siccati Uncias duodecim,
Mangani oxydati nativi subtilissime triti Uncias duas.

Mixta ingerantur in retortam vitream tubulatam et vase recipiente adposito, infundantur caute
Acidi sulphurici crudi Unciis novem,
tunc clausis juncturis fiat destillatio ad siccum.
Liquorem obtentum, si acido sulphuroso aut sulphurico aut empyreumate inquinatus sit, super
Natri acetici leni calore bene siccati,
Mangani oxydati nativi subtilissime triti, singulorum Uncia una
rectifica et in vasis bene obturatis serva.

Vis: analeptica, diaphoretica, temperans.
Usus: idem in febribus. Libra una aquae Drachmis duabus ejusdem sufficienter pro potu acescit. Externe naribus admotum in asphyxia et lipothymia bene conducit.

Acidum benzoicum.

(*Flores Benzoës.*)

℞. Benzoës pulveratae Uncias viginti quatuor,
Natri carbonici depurati triti Uncias novem.

Misce cum
Aquae pluvialis quantitate sufficiente
ad consistentiam pultis. Digere per horas viginti

quatuor, massam subinde agitando et aquam evaporatam restituendo, tum dilue

Aquae pluvialis Libris octodecim,

et ita decoque, ut post colaturam supersint Librae duodecim. Liquori huic decantatione a resina separato admisce

Acidi sulphurici diluti quantum sufficit

ad neutralisationem natri carbonici excedentis.

Resinam inde elicitam filtratione separa et liquori evaporatione ad Libras sex redacto adhuc calenti iterum adde

Acidi sulphurici diluti tantum

ut copia totius acidi, tam ad resinae quam ad acidi benzoici separationem adhibiti, sit Unciarum viginti quatuor. Crystalli post repositionem vasis natae, colando colligantur, tunc liquor evaporet, ut aliae subsidant crystalli, et operatio repetatur, quamdiu crystalli enascuntur. Crystalli ita obtentae addita

Carbonum recenter exustorum et pulveratorum Uncia una

solvantur unica ebullitione in

Aquae destillatae Mensuris tribus,

et fervidae tunc colatae ad crystallisandum seponantur. Fluidum a crystallis separatum denuo evaporatione ad crystallisationem disponatur, quod toties repetatur, quoties crystalli gignuntur.

Nota. *Si forte aqua pluvialis lege requisita omnino deficit, vel inquinata tantum prostat, ejus loco adhibere licet aquam fontanam coctione et subsequente refrigerio a calce liberatam.*

Vis: excitans, pulmones in specie stimulans.

Usus: in blennorrhoea pulmonum inveterata, in eorundem paralysi qualis bronchitidem subinde comitatur.
Dosis: grana tria ad sex.

Acidum hydrocyanicum.

(*Acidum Borussicum.*)

℞. Kalii ferro-cyanici venalis puri Unciam unam,
grossiuscule tritum immitte in cucurbitam vitream altiorem qua continentur
Acidi sulphurici depurati Uncia dimidia,
Aquae destillatae duplo parte diluti.
Orificio cucurbitae alembico munito, eidemque vase recipiente adaptato, cui antea infusae fuere
Spiritus Vini rectificatissimi Unciae tres,
bene clausis juncturis et submerso vase recipiente aqua frigida, fiat destillatio leni calore, et continuetur usque dum residuum massam exhibeat humidiusculam. Destillatione finita et refrigeratis vasis, fluido addatur
Spiritus vini rectificatissimi tantum
ut pondus totius fluidi aequet Uncias sex.
Tum in lagenulas unciae dimidiae capaces effunde, quae bene obturatae loco obscuro quam maxime caute serventur.
Hujus fluidi centum grana mixta cum Liquoris ammonii caustici, argenti nitrici et acidi nitrici diluti quantitate sufficiente, praebere debent grana 10, 62. argenti cyanici, aequalia duabus centesimis partibus acidi hydrocyanici.

Vis: *leniens, sensibilitatem nervorum minuens, ita ut praegrandi dosi subita mors inferatur.*

Usus: *contra spasmos et dolores e nimia sensibilitate nervorum oriundos.*

Dosis: *guttula unica cum aquae destillatae uncia dimidia, ter, quaterve quotidie.*

Acidum muriaticum purum.

(*Acidum Salis purum.*)
(— *hydrochloricum.*)

℞. Natri muriatici siccati Libras sex,
Acidi sulphurici crudi Libras septem cum dimidia caute dilutas
Aquae communis Libris tribus.

Immisso Natro muriatico siccato cucurbitae, eaque adnexa apparatui Woulffiano, Acidum sulphuricum per tubulum infundibuliformem inflexum, epistomio cucurbitae juxta canalem vapores transmittentem insitum, pedetentim affunditur, ignis vero perpetuo intenditur, quamdiu Gas transsire observatur.

Lagena prima apparatus, solummodo inserviens condensationi omnium transeuntium voporum, perpaucum aquae tantum, altera vero, intimae mixtioni Gas muriatici cum Aqua destinata, qua formatur Acidum muriaticum liquidum, Aquae destillatae Libras tres cum dimidia continere debet, ita tamen ne Aqua excedat duas tertias spatii interni lagenae.

Contentum lagenae secundae, quod solum est Acidum muriaticum purum, servandum est in

lagenis, epistomiis vitreis muniendis. Pond. spec. acidi 1,175.

Vis: excitans, antiseptica, diuretica, alterans, corrosiva.

Usus: in febribus malignis, in dysuria Senum; probatissimum est remedium in Stomacace, ad anginam malignam, et ulcuscula gangraenosa faucium, tam interne quam externe, ad quem postremum finem drachma una Acidi miscetur cum Aquae rosarum et Mellis rosati Uncia una et dimidia. Ad Contagia febrium arcenda Vapores Acidi muriatici maxime salutares, experientia annuente praedicantur.

Acidum nitricum purum.

(*Spiritus Nitri acidus*).

℞. Kali nitrici depurati contusi Libras octo.

In retortam vitream tubulatam satis capacem immissis affunde

Acidi sulphurici crudi Libras septem,
Aquae fontanae Libris tribus

caute dilutas. Applicetur excipulum amplum cui

Aquae destillatae Librae quatuor

antea sunt immissae. Fiat destillatio ex arena, igne primum remissiore, sub finem pedetentim aucto, ad siccum. Acido elicito instilla

Liquorum argenti nitrici

quamdiu inde fit turbidum, cavendo ne nimia copia liquoris argenti nitrici addatur. Seponatur per aliquot dies. Tum liquorem limpidum decanta,

et e retorta, fere ad siccum destillando, rectifica. In vasis epistomio vitreo clausis serva.

Parare licet quoque ex Acido nitrico crudo, acido sulphurico non inquinato, rectificatione, separata quantitate primo prodeunte, quae acido muriatico scatet.

Sit ab acido muriatico et sulphurico liberum, liquore argenti nitrici et barytae nitricae explorandum. Pond. spec. = 1,195 — 1,205.

Vis: corrodens, satis dilutum nervos refocillans, appetitum ciborum promovens, sanguinis vigorem augens.

Usus: in febribus putridis, in lue venerea, externe ad ulcera maligna, verrucas, herpetem. Vapores miasmata et contagia destruunt morborum.

Acidum phosphoricum ex Ossibus.

℞. Cornu Cervi, aut aliorum Ossium ad albedinem ustorum Libras quinque.

Subtilissime pulverisatis adde

Acidi sulphurici crudi Libras duas cum dimidia

Aquae pluvialis Libris triginta

dilutas. Ebulliant leniter per horam in lebete stanneo, sub continua agitatione. Liquorem ope preli separatum et colatum ad mellis spissitudinem evaporare fac.

Nota. *Phosphoro, nec non Natro phosphorico parando aptum est.*

Acidum phosphoricum purum.

℞. Acidi nitrici puri, quantum placet.

In cucurbita vitrea ad lenem ebullitionem usque calefacto immitte sensim ac caute

Phosphori

frustula minora, granum unum vel alterum non superantia, quantum Acidum nitricum oxydatione subigere valeat. Liquidum evaporet ad spissitudinem oleosam. Tunc cum ea quantitate aquae destillatae diluatur ut pondus totius decuplo Phosphori consumti respondeat. P. sp. = 1, 16.

Vis: excitans, analeptica, antiseptica.
Usus: diluti vid. infra.

Acidum phosphoricum dilutum.

℞. Acidi phosphorici puri Unciam unam,
Aquae destillatae Uncias octo.
Misce.

Usus: in febre hectica, phthisi pulmonum; externe ad cariem dentium.
Dosis: cochlear unum parvum omni bihorio, in vehiculo glutinoso.

Acidum sulphricum depuratum.

(Oleum Vitrioli depuratum.)

℞. Acidi sulphurici crudi Libras duas.

Immitte in retortam vitream, collo longo instructam, et ita amplam, ut altera eius pars sit vacua ab acido. Retortam balneo arenae committe, appone excipulum, et commissuram absque luto ita tege, ut vaporibus primum ascendentibus, valde-

que elasticis, exitus concedatur. Ignem instrue ad Calorem aquae bullientis. Surgent vapores, mox in liquidum coeuntes. Ita perge destillando quamdiu discretis iisque majoribus guttulis collo retortae liquidum hoc se affigat. Auge sensim ignem, ad ebullitionem usque et quam primum striae oleosi habitus ad retortae faciem internam, vapores vero albi densioros per totum apparatum observentur, aliud appone excipulum calefactum antea, lenteque destillare fac, ut fere quavis minutae horae partis quadrante gutta descendat, donec nulli amplius vapores prodeant. Liquor secundo excipulo contentus Acidum sulphuricum purum est, et vase vitreo, operculo vitreo claudendo servetur. Pond. spec. 1,845 — 1,850.

Vis: valde corrodens, cum aqua effervescit cui caute inde admiscendum est.

Antidotum incaute ingesti optimum constituunt Aqua saponata, et Aqua saccharata cum magnesia alba mixta.

Acidum sulphuricum dilutum.

(Spiritus Vitrioli.)

℞. Acidi sulphurici depurati Partem unam.
Instillando misce cum
Aquae destillatae Partibus quinque.

Vis: refocillans, antiseptica, adstringens.

Usus: in febribus quae dicuntur putridae, in Scarlatina, haemoptysi, aliisque haemorrhagiis, sudore colliquativo, erethismo nervorum, Sodae quadam Specie, et quibusdam exanthematibus chronicis.

Dosis: Drachma dimidia cum Syrupi Uncia dimidia et aquae idonea quantitate.

Acidum tartaricum.

(*Acidum essentiale Tartari.*)
(*Sal essentiale Tartari.*)

℞. **Tartari depurati** pulverati, **quantum placet,**
Aquae pluvialis Quintuplum.
Ebulliant in lebete stanneo. Per vices immitte
Cretae purae,
quantum requiritur ad Acidi saturitatem.

Vas ab igne remotum seponatur, ut Calcaria tartarica jam nata quiescat. Liquori decantato, Kali tartaricum continenti, admisce
Calcariam muriaticam,
in Aqua destillata solutam quamdiu praecipitatum enascitur. Calcariam tartaricam inde adhuc obtentam, priori adde, Aqua frigida ablue et sicca. Partibus hujus sedecim, Quintuplo
Aquae destillatae calidae
dilutis, adde
Acidi sulphurici crudi Partes septem.
Aquae destillatae Duplo antea dilutas.

Spathula lignea saepius agitando, digerantur per horas viginti quatuor. Decantato liquore acido, Calcariam sulphuricam residuam aqua destillata ablue, donec plane insipida fiat. Liquores acidi commisti et colati, evaporent in vase vitreo aut porcellaneo ad syrupi spissitudinem, tum per horas viginti quatuor sepositi denuo colentur et lenta evaporatione in crystallos redigantur, quae operatio repetatur quamdiu crystalli sat albae

prodeunt. Crystalli omnes collectae et bene siccatae serventur.

Vis: *temperans, analeptica, diuretica.*

Usus: *in febribus, imprimis biliosis potui admiscetur.*

Dosis: *Libra una aquae drachmis duabus acidi sufficienter acuitur.*

Aether aceticus.

(*Naphta aceti.*)

℞. Natri acetici blando calore exsiccati Uncias duodecim.

In retortam vitream tubulatam immissis affunde

Acidi sulphurici crudi Uncias decem,

mixtas antea caute cum

Spiritus vini rectificatissimi Unciis decem.

Vasorum juncturis bene clausis fiat destillatio ejusmodi ut contentum retortae perpetuo leniter coquatur. Liquori elicito duodecim ad tredecim uncias aequanti adde

Aquae fontanae et

Liquoris Kali caustici partes aequales,

quantum requiritur ad separandum Aetherem, quem tunc rectifica super Magnesia usta leni calore, et serva vasis bene obturatis. P. sp. 0,885.

Vis: *maxime analeptica, excitans, nervina.*

Usus: *ad instigandas vires vitales in febribus adynamicis, lipothymia, asphyxia.*

Dosis: *guttae quindecim ad triginta.*

Aether sulphuricus.

(*Naphta Vitrioli.*)

℞. Acidi sulphurici crudi,

Spiritus vini rectificatissimi singulorum libras tres.

Spiritui vini in cucurbita successive et caute instilletur Acidum sulphuricum. Adaptetur alembicus cum excipulo satis capaci, et juncturis bene clausis, instituatur destillatio ex arenae, aut tutius ex cinerum balneo, calore remissiori. Ab ulteriori destillatione desistendum est, quam primum Liquor stillans Acidum sulphurosum redolet. Residuo tunc affundatur

Spiritus vini rectificatissimi Libra una cum dimidia

fiat destillatio ut antea; quae operatio cum simili Spiritus vini quantitate bis vel ter adhuc potest repeti.

Liquoris aetherei, destillationibus his repetitis obtenti Partibus duodecim addantur

Aquae pluvialis Partes tres,

Liquoris Kali caustici Pars una.

Aether supernatans a reliquo fluido separetur et rectificetur blandissimo calore super

Mangani oxydati nativi

et Kali carbonici crudi sufficiente quantitate, ea ratione ut decima pars aetheris rectificandi restet in retorta. Pond. spec. 0,730.

Vis: nervina, excitans, antispastica, carminativa, anthelmintica?

Usus: in febribus nervosis cum defectu irritabilitatis, in paralysi, lipothymia, flatulentia, contra taeniam? Externe ad dissipandas stases sanguinis, aliorumque

humorum, ad liberandas hernias incarceratas.

Dosis: guttulae viginti.

Aether sulphuricus camphoratus.

(*Naphtha Vitrioli camphorata.*)

℞. Camphorae pulveratae Scrupulos octo,
Aetheris sulphurici Unciam unam.
Misce et Solve.

Vis: combinata aetheris ac comphorae.

Aether sulphuricus phosphoratus.

℞. Phosphori Grana sedecim,
superinfunde in vase vitreo trium unciarum aquae capace cum
Spiritus vini rectificatissimi Uncia dimidia.
Vas bene clausum, submersum aqua calida ita calefiat, ut phosphorus liquescat, tam diu nunc conquassandus una cum Spiritu vini, usque dum omnia refrigerata sint, et phosphorus pulverem subtilem repraesentet, infundendum jam, omni spiritu vini apprime decantato
Aetheris sulphurici Unciis duabus,
iisdemque per semihoram perpetuo agitandum. Mixtio persistat, saepius agitata per quatuor dies, tunc vero aether a phosphoro non soluto decantando percaute separetur, et loco frigido obscuro servetur vase vitreo bene obturato.

Nota. *Perfacilis decomponi, per paucos menses tantum asservari debet.*

Vis: maxime excitans.
Usus: in stadio febrium paralytico.

Dosis: guttulae duodecim ad viginti addita guttula olei cujusdam aetherei.

Alumen ustum.

Alumen crudum uratur in crucibulo amplo, aut in olla fictili non vitreata satis capaci, donec penitus in massam levem abiverit.

Vis: adstringens, subcaustica.
Usus: ad carnem luxuriantem, et ad maculas corneae externe adhiberi solet.

Ammonium carbonicum pyro-oleosum.

(*Sal volatile Cornu Cervi.*)

℞. Ammonii carbonici puri Uncias octo,
Olei animalis aetherei Drachmas duas.

Probe mixta sublimentur e retorta amplo collo instructa, in excipulum aquae frigidae immersum, eaque perpetuo temperatum.

Vis: eadem ac Ammonii carbonici.
Usus: praestantior adhuc illo antecedentis in febribus nervosis.
Dosis: grana tria ad sex, pluries de die.

Ammonium muriaticum depuratum.

(*Sal ammoniacum depuratum.*)

℞. Ammonium muriaticum sublimatum, quale prostat, solvatur in aquae pluvialis calidae sufficiente quantitate, solutum filtretur et in vase vitreo aut porcellaneo, supra modicum ignem evaporet. Tum ad crystallisationem reponatur,

et operatio repetatur quamdiu crystalli albae oriuntur. Crystalli bene siccatae serventur.

Vis et Usus vid. supra P. Ima. suo loco.

Ammonium muriaticum martiatum.

(*Flores salis ammoniaci martiales.*)
(*Sal ammoniacum martiatum.*)

℞. Ferri muriatici oxydati Unciam unam,
Ammonii muriatici depurati Uncias sedecim.

Solvantur in aqua destillata et evaporent leni calore ad siccum.

Vis: resolvens, tonica.
Usus: in obstructione lienis aliorumque viscerum abdominalium, amenorrhoea, chlorosi, febribus intermittentibus.
Dosis: grana quinque ad octo ter die.

Aqua amygdalarum amararum concentrata.

℞. Amygdalarum amararum Libras duas.
Contusis affunde
Spiritus vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae fontanae Libras decem
Abstrahantur e retorta vitrea Librae duae.

Nota. *Aqua haec acido hydrocyanico eo modo impraegnata, ut uncia una ejusdem contineat granum dimidium Acidi hydrocyanici, sollicite servanda et circumscripte adhibenda est.*

Vis: eadem ac Aquae Laurocerasi, ubi vid.

Aqua amygdalarum amararum diluta.

(*Loco Aquae Cerasorum.*)

℞. Amygdalarum amararum Uncias octo, grossiuscule contusas immitte cum
Aquae fontanae Mensuris duodecim
in apparatum destillatorium, et leni igne destillare fac Mensuras octo.

Unciae sedecim hujus liquidi continent quartam partem grani unius Acidi hydrocyanici.

Vis: leniens, sopiens.
Usus: in erethismo nervoso uti ventriculi aliorum remediorum idoneorum.
Dosis: Cochlear unum omni bihorio.

Aqua Anhaltina.

℞. Radicis Galangae minoris,
Herbae Rorismarini, singularum Drachmas sex,
Seminum Foeniculi,
Baccarum Lauri, singulorum Unciam dimidiam,
Caryophyllorum aromaticorum,
Cubebarum,
Nucum Moschatarum,
Cinnamomi,
Mastiches, singulorum Drachmas sex,
Olibani, Unciam unam,
Terebinthinae lariciniae Uncias sex.

Scissa et contusa infundantur cum

Spiritus vini rectificati Libris sex
et addita
Aquae fontanae Libra una
destillent lenissimo calore Librae quinque.

Vis: excitans, confortans.

Usus: externus ad corroborandnm ventriculum et intestina, in specie post paracenthesin abdominis, nec non in paralysi membrorum.

Aqua aromatica.

(Loco Aquae cephalicae et Aquae Embryonum.)

℞. Herbae Salviae Uncias octo,
Rorismarini,
Menthae piperitae,
Florum Lavandulae, singulorum Uncias quatuor,
Seminum Foeniculi,
Cassiae cinnamomeae, singulorum Uncias duas.

Scissis et contusis affundantur
Spiritus vini rectificati Librae quatuor,
Aquae fontanae Librae viginti.

Macerentur per horas viginti quatuor et destillando eliciantur Librae duodecim.

Vis: excitans, confortans.

Usus: externus in Cephalaea nervosa, contusionibus, paralysi.

Aqua

Aqua Calcariae.

(*Aqua calcis.*)

℞. Calcariae, nuper ustae Libram semis,
Aquae destillatae Libras octo.

Calcaria sensim aquae interea agitandae addatur, et in lagena vitrea bene clausa seponantur. Dum in usum vocatur, defundatur aqua calcaria limpida, et filtrata exhibeatur.

Vitrum calcariam continens nova aqua repleatur, quod repeti potest, donec calcaria solutione in aqua exhausta sit, et quamdiu aqua decantata characteribus statim notandis gaudet.

Sit limpida, saporis alcalini et siccantis, et chartam exploratoriam luteam colore e rubro fuscescente valde tingat.

Vis: antacida, alterans, adstringens, lithontriptica, siccans.

Usus: in dysuria, imprimis a calculis renalibus; in Soda; ad compescendum vomitum e Scirrho ventriculi; in herpete; excellens in crusta lactea et achoribus, vel infantulis ablactatis, vel nutricibus propinatae; in arthritide chronica; et phthisi pulmonali scrophulosa.

Dosis: pro infante trium annorum Unciae tres, cum lacte; pro adulto, Unciae sex ad mensuram unam pro die, cum lacte vel, Ventriculi gratia, paululo Aquae Cinnamomi sine vino addito. Externe linimentum ex Aquae calcariae et Olei Olivarum aequalibus partibus, ad herpetem et adustiones utiliter applicatur.

Aqua Chamomillae.

℞. Florum Chamomillae vulgaris siccatorum Libras duas,
Aquae fontanae Libras triginta.
Destillent Librae viginti.
Vis: antispastica, anticolica.
Usus: in hysteria, flatulentia.
Dosis: Cochlear unum et alterum.
Eodem modo paratur
Aqua Sambuci.

Aqua Cinnamomi simplex.

℞. Cassiae Cinnamomeae contusae Libram unam.
Aquae fontanae quantum sufficit.
Destillando eliciantur Librae novem.
Vis: analeptica, stomachica, calefaciens.
Usus: ad reficiendum Ventriculum.
Dosis: Cochlear unum.

Aqua Cinnamomi vinosa.

℞. Cassiae Cinnamomeae contusae Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras duas,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillent inde Librae novem.
Vis et Usus praecedentis paulo minori dosi.

Aqua destillata simplex.

Destillent Aquae pluvialis duae tertiae partes, rejecta prima stillantis aquae portiuncula.

Vis: solvens, diluens.

Usus: pro solutione Kalinorum, plurium salium neutralium, imprimis metallicorum, saponum, et sulphuretorum, quippe quae aqua communi, variis salibus et principio extractivo praedita facile alterantur et decomponuntur.

Aqua florum Aurantii.

(*Aqua Naphae.*)

℞. Florum Aurantii recentium Libras duas,
aut sale conditorum Libras tres.
Kali carbonici crudi Unciam unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Abstrahantur inde Librae decem.

Vis: analeptica.

Condiantur flores Aurantii, miscendo partes duas florum cum parte una natri muriatici.

Aqua Foeniculi.

℞. Seminum Foeniculi contusorum Libram unam,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando eliciantur Librae viginti. Oleum aethereum innatans auferatur.

Vis: analeptica, carminativa.

Usus: Infantibus, torminibus vexatis optime conducit.

Dosis: cochlear parvum infantibus.

Aqua Lauro-Cerasi.

℞. Foliorum recentium Lauro-Cerasi Libras duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae fontanae Libras sex.

E retorta vitrea destillando elice Libras tres. Serva sollicite.

Vis: *irritabilitatem minuens, sat magna dosi lethifera.*

Usus: *in obstructionibus viscerum abdominalium; in cordis ac arteriarum irritabilitate nimia; externe ad cataractam solvendam, in scirrho et cancro uteri, in fluore albo.*

Dosis: *variat a guttulis quindecim ad sexaginta ter die, caute progrediendo.*

Nota. *Deficientibus foliis Lauro-Cerasi recentibus, conscio medico substituere licet Aquam amygdalarum amararum concentratam, Aquae Lauro-Cerasi in totum aequiparandam aequas scilicet partes acidi hydrocyanici continentem (granum dimidium in uncia una).*

Aqua Melissae.

℞. Herbae Melissae siccatae Libras duas.
Aquae fontanae quantum satis.

Destillent Librae quatuordecim.

Eodem modo parantur

Aqua Menthae crispae,
— — piperitae,
— Pulegii,
— Salviae.

Aqua ophthalmica coerulea.

(*Apua Saphirina.*)
(— *coelestis.*)

℞. Aeruginis pulverati Grana quatuor,
Ammonii carbonici Grana duodecim,
solve in
Aquae destillatae Unciis octo.
Liquor filtratus servetur.
Vis: discutiens.
Usus: instillantur aliquot guttulae angulo interno oculi inflammati, vel phlyctaenis obnubilati.

Aqua ophthalmica Conradii.

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi Granum unum,
solve in
Aquae Rosarum Unciis sex,
admisce
Tincturae Opii crocatae Scrupulos duos.
Serva.
Usus: in ophthalmiis chronicis, et psorophthalmia.

Aqua phagedaenica.

℞. Aquae Calcariae Uncias sedecim,
Hydrargyri muriatici corrosivi Grana viginti quatuor.
Solve et serva.
Vis: fallens ob decompositionem hydrargyri muriatici.

Usus: externe in carne luxuriante, et ulceribus impuris, maxime venereis.

Aqua Pruni Padi.

℞. Corticis recentis Pruni Padi Libras duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas,
Aquae fontanae Libras sex.

E retorta vitrea destillando elice Libras tres. Serva.

Vis: sedativa, antispastica.
Usus: in rheumatismo, variisque affectibus spasticis dolentibus imi ventris.
Dosis: Drachma una.

Aqua Reginae Hungariae.

℞. Herbae Roris marini Libras quatuor,
Salviae Uncias sex.
Zingiberis Uncias duas.

Grossiuscule incisa infundantur
Spiritus vini rectificati Libris duodecim,
Aquae fontanae Libris duabus.

Destillatione eliciantur Librae undecim.

Vis: excitans, confortiva.
Usus: in deliquio animi et Ventriculi debilitate externe.

Aqua Rosarum.

℞. Florum Rosarum recentium Libras quatuor, aut sale conditorum Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillando elice Libras viginti.

Vis: analeptica, subadstringens.
Usus: gustui maxime famulatur; externe in ophthalmiis.

Condiantur petala florum rosarum sale, miscendo partem unam natri muriatici cum petalorum partibus duabus.

Aqua Rubi Idaei.

℞. Residui post parationem succi Baccarum Rubi Idaei maturarum recentis, Libras decem, aut sale conditi Libras quindecim,
Kali carbonici crudi Uncias duas,
Aquae fontanae Libras triginta.

Abstrahantur Librae viginti, in lagenis vitreis clausis servandae.

Vis: analeptica, palato grata.
Usus: pro recipiente analepticorum.
Dosis: cochlear unum.

Condiatur residuum Baccarum Rubi Idaei simili modo ac flores Rosarum.

Aqua saturnina.

℞. Aquae destillatae Libras duas,
Aceti saturnini Unciam dimidiam.

Misce.

Vis: exsiccans, antiphlogistica.
Usus: externe ad contusiones, et excoriationes.

Aqua supercarbonatis Sodae.

℞. Natri carbonici neutralis Uncias duas,
Aquae destillatae Libras decem.

Solve et misce cum Gas acidi carbonici, quod exspirat ex pulvere calcis carbonicae et acidi sulphurici singulis unciis tribus, totidem libris aquae gradatim et caute commixtis in Apparatu Noothii aut Woulffii.

Nota. *Ejus loco statim solvi possunt Natri carbonici neutralis Drachma una et altera in Aquae Selteranae, vel similis pure acidulae Libra una.*

Vis: lithontriptica?
Usus: in labe calculosa renum ac vesicae, cum charta exploratoria coerulea urinae immissa rubescat; in dysuria.
Dosis: Librae duae pro die.

Aqua Valerianae.

℞. Radicis Valerianae minoris Libras duas,
Aquae fontanae quantum satis.

Destillent Librae quatuordecim.

Vis: nervina, antispastica.
Usus: in mixturis nervinis.
Dosis: Cochlear unum.

Aqua vegeto mineralis.

℞. Aceti saturnini Unciam dimidiam,
Spiritus vini rectificati Unciam unam,
Aquae destillatae Libras duas.

Misce.

Vis: exsiccans, antiphlogistica.
Usus: externe in contusionibus ac inflammationibus suppurationi non obnoxiis.

Aqua vulneraria vinosa.

℞. Herbae Salviae,
Absinthii,
Menthae piperitae,
Rutae,
Roris marini,
Florum Lavandulae, singulorum Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras sex.
Aquae fontanae quantum satis.

Macerentur per viginti quatuor horas, et destillent Librae octodecim.

Vis: discutiens.
Usus: in contusionibus externe.

Argentum nitricum crystallisatum.

(*Nitras argenticus.*)

℞. Argenti puri quantum velis,
Acidi nitrici puri, aqua diluti, quantum sufficit ad solutionem saturatam.

Fiat solutio leni calore, Liquorem limpidum refrigeratum repone; quae aliquando observatur materia floccosa in vas vitreum idoneum deferatur. Post praegressam evaporationem, per refrigerium crystallos tabulares, nitidas excute, quas

inter bibulam sicca, ac vase clauso in loco obscuro serva.

Vis: caustica, adstringens, antispastica.
Usus: in Epilepsia, Hydrope, Asthmate spastico.
Dosis: grani sedecima pars, ad granum integrum et ultra semel, ter, quaterve die.

Argentum nitricum fusum.

(Lapis infernalis).

℞. Argenti nitrici crystallisati, quantum placet, in vase porcellaneo idoneo, calore leni liqua, et simulac olei instar fluit, effunde in modulum ferreum calefactum, sevo illitum. Refrigeratam massam in vitro clauso serva.

Vis: caustica, depurans.
Usus: externe ad carnem luxuriantem, verrucas, ulcera impura.

Argentum purum.

℞. Argenti Unciam unam,
solve in
Acido nitrici puri diluti quantum sufficit ad perfectam solutionem.

Solutioni limpidae decantatae instilletur solutio natri muriatici in tripla quantitate Aquae destillatae, donec praecipitatio cesset. Argentum muriaticum praecipitatum, aqua destillata perfecte edulcoratum, exacte siccetur. Tunc

Kali carbonici crudi depurati Unciae tres liquescant in crucibulo Hassiaco ad incandescentiam usque. Addatur tunc caute successive per

vices, argentum muriaticum et moretur adhuc in igne per quadrantem horae. Denique ex fundo refrigerati et diffracti crucibuli eximatur et servatur argentum.

Vis: mechanica, medica nulla.

Usus: pro parando argento nitrico.

Aurum muriaticum natronatum.

(*Chloretum Auri cum Chloreto Natrii.*)

℞. Auri nummorum (quos Ducatos vocant) Partes sex.

Solve in vase vitreo, leni calore cum

Aquae regiae (ex acidi nitrici puri parte una et acidi muriatici puri partibus duabus compositae) sufficiente quantitate.

Liquidum a muriate argentico, in fundo remanente, separatur et leni calore in vase porcellaneo ad siccum evaporet, cavendo ne, nimio calore, e parte decomponatur, sed ut sal solummodo ab omni acido superfluo liberetur. Dein in aqua destillata soluto adde

Natri muriatici sicci Partes decem.

Liquor filtretur, leni calore iterum ad siccum evaporet, et massa residua pulverata vitro bene claudendo immittatur.

Vis: antisyphilitica?

Dosis: grani sedecima pars gingivis illita.

Baryta muriatica.

(Terra ponderosa salita.)

℞. Barytae sulphuricae nativae purae in pulverem subtilissimum redactae, quantum vis.

Kali carbonici crudi depurati in pulverem triti duplum.

Pulveres accurate commixtos, et in crucibulum terreum amplum immissos, igni inter carbones expone. Dum incalescat massa, hanc spathula terrea saepius agita; ignem auge, donec aegre candeat, at cave, ne fluat. Per horam ignem sustenta, massamque deinde refrigeratam larga aquae destillatae bullientis copia ablue, ut omne quod sal habeat, aqua solubile, auferatur.

Pulverem album superstitem, qui maximam partem ex baryta carbonica constat, sicca. Huic pulveri admisce

Acidi muriatici puri tantum

ut effervescentia cesset, et liquor saturatus sit. Sepone ut sedimentum ponatur; liquorem limpidum effusum in vas vitreum evaporare fac ad siccitatem, ac deinde in crucibulum terreum immitte, ut candeat, donec nulli vapores surgant. Refrigeratam massam aqua destillata solve, solutionem percola et evaporare sine, donec pellicula appareat, ac deinde in loco frigido crystallos amplas, nitidas excute. Crystallos collectas contere et in cucurbita duplo pondere

Spiritus vini rectificatissimi

superinfunde, qui super igne efferveat ad ebullitionem fere usque, et fervidus tunc filtretur. In filtro residuum solve in Aqua destillata, solutio-

nem filtratam evaporatione ad Crystallisationem dispone, hancque loco frigido promove. Crystallos tandem collectas, sicca in bibula, et vase clauso serva.

Vis: *diuretica, diaphoretica, alterans, anthelmintica, laxans; magna dosi cardialgiam excitat, nauseam, vomitum, vertiginem, artuum tremorem cum sudore frigido.*

Usus: *in Scrophulis, Struma? et variis eruptionibus cutaneis tam herpeticis quam aliis febre immunibus.*

Dosis: *Solutionis drachmae dimidiae in Aquae destillatae Uncia una infantibus quater die guttulae decem vel duodecim, adultis quadraginta, sexaginta et sensim plures.*

Bismuthum subnitricum praecipitatum.

(*Bismuthum nitricum praecipitatum.*)
(*Magisterium Bismuthi.*)
(*Subnitras bismuthicus.*)

℞. Bismuthi puri Uncias duas,
Acidi nitrici puri Uncias sex, vel quantum satis ad solvendum.

Bismuthum grossiuscule contusum Acido nitrico successive ita ingere ut altera portio non prius addatur, quin prior perfecte sit soluta, quod toties repetitur usque dum sedimentum pulverulentum album, perfectam saturationem acidi arguens, nascatur. Solutum filtra et in vas vitreum, Aquae destillatae Libras sex jam continens, effunde.

Praecipitatum inde natum edulcora, loco calido umbroso exsicca, et serva.

Vis: antispastica.

Usus: in cardialgia, aliisque sensibilitatis excessibus.

Dosis: grana duo, tria vel quatuor, quin plura, omni trihorio.

Calcaria chlorata.

(*Chlorum calcariae.*)
(*Chloretum calcariae.*)
(*Calcaria chlorinica.*)

℞. Calcaria usta eadem Aquae fontanae copia adspergatur, ita ut in pulverem fatiscat.

Pulvis in vas vitreum cylindricum ingeratur, Gas Chlori modo infra dicto evolvatur, et per tubulum intra calcariam ustam conducatur, quamdiu ab hac absorbetur. Pulvis exemtus in vase bene clauso loco umbroso servetur.

Deficiente apparatu facile ex officinis chemicis coëmitur.

Vis: alterans, depurans, foetorem e putredine castigans.

Usus: externe ad ulcera saniosa foetentia, ad Stomacacem, ad herpetem, intertriginem, ad destruenda miasmata morborum, ad delendum foetorem cadaverum aliarumque partium animalium putredine correptarum.

Calcaria muriatica.

(*Sal ammoniacum fixum. Chloretum Calcii*).

℞. Concharum praeparatarum bene excoctarum quantum vis.

Solve in

Acidi muriatici puri quantitate sufficiente

ad perfectam neutralisationem.

Solutio filtrata in vase vitreo aut porcellaneo ad siccitatem evaporet. Sal siccum sic obtentum adhuc calens in vitro bene obturato serva.

Vis: *stimulans, alterans, dosi majore emetica.*

Usus: *in Scrophulis et variis exanthematibus chronicis.*

Dosis: *Solutionis drachmae unius in Aquae destillatae Uncia una infantibus guttulae quindecim, adultis drachma dimidia et sensim ultra, pluries die.*

Calcaria sulphurata.

(*Hepar Sulphuris calcareum*).

℞. Calcariae ustae Partem unam,

Sulphuris depurati Partem unam cum dimidia.

Intime mixta, sat impinge crucibulo terreo, ac, hoc cooperto et argilla humida clauso, ita exaestua, ut totum per aliquot minuta debiliter rutile excandescat. Sulphuretum, in crucibulo refrigeratum, statim ingere in vas vitreum probe dein claudendum.

Vis: diaphoretica, deoxydans, dosi majore emetica.
Usus: in phthisi, (Busch) externe in balneis, addito acido, quo gas hydrosulphuratum expellitur.
Dosis: grana quatuor vel sex; in balneis Uncia dimidia vel integra, addito sensim triplo Acidi sulphurici diluti.

Calcaria sulphurato-stibiata.

(Calx Antimonii cum sulphure.)

℞. Calcariae recenter ustae pulveratae Unciam unam cum dimidia,
Sulphuris aurati antimonii Unciam dimidiam.
Invicem tritis sensim adde
Aquae pluvialis Uncias duodecim.
In Vase porcellaneo, sub agitatione continuata leni calore exsicca, et pulverem ex albido flavescentem in vitris parvis, bene obturatis serva.

Vis: resolvens, alterans, dosi majore emetica.
Usus: in rheumatismo, arthritide, herpete ac aliis eruptionibus cutaneis chronicis, in obstructione viscerum abdominalium et scrophulis.
Dosis: grana duo ad sex; usitatior est forma decocti ubi vide.

Carbo purus.

Ligni Tiliae, vel alius arboris, frustula urantur in retorta terrea, aut in crucibulo clauso, cujus

cujus operculum parvo foramine instructum est, usque dum fumus penitus desinat. Carbo remanens in pulverem tritus servetur in vase clauso.

Vis: *antiseptica, deoxydans.*
Usus: *in morbis cum praedominio oxygenii, qualis supponitur Phthisi pulmonalis florida, in colluvie putrida primarum viarum, febri biliosa putrida, in obstipatione alvi? Dysenteria? Externe ad corrigendum pravum oris halitum, ad ulcera foetida impura.*
Dosis: *grana decem ad quindecim.*

Carbo Spongiae.
(*Spongiae ustae.*)

E Spongia marina, equorum dicta, a lapidibus mundata eodem modo Carbo est parandus.

Vis: *diuretica, alterans, Vasa lymphatica incitans.*
Usus: *in Struma et Scrophulis.*
Dosis: *grana decem ad triginta.*

Ceratum Aeruginis.
(*Cera viridis.*)

℞. Cerae flavae Libram unam,
Resinae Pini Uncias sex,
Terebinthinae communis Uncias quatuor,
Aeruginis tritae Unciam unam.
Misce, fiat Ceratum.

Vis: *resolvens.*
Usus: *forma trochisci clavis pedum resolvendis imponitur.*

12

Ceratum Calaminae.

(*Ceratum epuloticum.*)

℞. Lapidis Calaminaris praeparati,
Cerae flavae, singulorum Uncias sex,
Olei Olivarum Uncias duodecim.

Misce fiat Ceratum.

Vis: exsiccans.

Usus: ad promovendam cicatrisationem ulcerum.

Ceratum Cetacei.

(*Emplastrum Spermatis Ceti.*)

℞. Cerae albae,
Sevi Ovilli, singulorum Uncias sex,
Cetacei Uncias tres.

Leni igne liquata effunde in cistulas papyraceas.

Vis: emolliens, defendens.

Usus: Mammis mulierum post ablactationem imponi solet.

Ceratum labiale.

℞. Olei amygdalarum Unciam unam cum dimida,
Cerae albae Unciam unam,
Cetacei Drachmam unam.

Liquefiant in sartagine et tingantur cum frustulo Radicis Alkannae, et pauxillo Aluminis pulverati, usque dum solutio gratum colorem induerit. Cola et adde

Olei de Cedro,

Olei Bergamottae, singulorum Guttas duodecim et in Capsulas papyraceas effunde.

Vis: defendens.
Usus: ad levia vulnera, et excoriationis labiorum.

Ceratum Resinae Pini.

(*Ceratum citrinum.*)
(*Emplastrum citrinum.*)

℞. Cerae flavae Libras duas,
Resinae Pini Libram unam,
Sevi Ovilli,
Terebinthinae communis, singulorum Libram dimidiam.

Fiat lege artis Ceratum.

Vis: stimulans.
Usus: ad promovendam suppurationem ulcerum ac vulnerum.

Ceratum Saturni.

(*Unguentum saturninum.*)
(— *plumbicum.*)

℞. Cerae albae Uncias sex,
Olei Olivarum Libras duas.

Liquefactis successive admisce,
Aceti saturnini Uncias tres,
Aquae Rosarum Unciis duodecim dilutas.

Serva.

Vis: exsiccans, consolidans, leniens.
Usus: in ulceribus nimium pus fundentibus, mox sanandis.

Ceratum simplex.

(*Unguentum cereum.*)
(— *emolliens.*)

℞. Olei Olivarum Uncias decem,
Cerae albae Uncias quatuor.

Liquata et ab igne remota agitentur, donec refrixerint.

Vis: *emolliens, leniens.*
Usus: *ad defendenda ulcera ac vulnera a suppuratione prodiga.*

Chininum muriaticum.

℞. Chinini sulphurici Unciam unam,
Barytae muriaticae Drachmas duas.

Mixta tere per quadrantem horae cum
Aquae destillatae Unciis octo

et deinde filtra. Liquorem perleni calore evaporare fac ut appareat pellicula, tunc ad crystallisandum, per aliquot dies, loco frigido seponitur, haecque operatio toties repetitur, quoties lixivium crystallos adhuc praebeat. Crystalli collectae in vitro bene obturato servantur.

Vis, usus et dosis: *Chinini sulphurici.*

Chininum sulphuricum.+

℞. Corticis Chinae regii grossiuscule pulverati Libras duas.

In vas fictile immissis affunde
Aquae pluvialis fervidae Libras duodecim
Acidi muriatici Unciam unam et dimidiam.

+ Da das Chinin sulphuric. so schwer in Wasser auflöslich ist und zwar in 140 Theilen, so thut man doch besser das Chininum muriaticum oder Chininum aceticum zu verschreiben, die viel leichter in [illegible]

Digere per horas sex ad octo, tum cola et exprime.

Residuum simili modo bis terve in aqua cum acido mixta digeratur, peracta extractione semper exprimendo. Liquoribus obtentis admisce

Liquoris kali caustici eam quantitatem

ut acidum parumper praevaleat. Tum liquores leni igne ad **Libras quatuor** redigantur. Post refrigerationem filtra et liquori limpido adde

Calcariae ustae, cum sufficiente quantitate
Aquae pluvialis mixtae, ut in liquorem lacti similem mutetur, **Unciam unam.**

Seponantur per diem, misturam subinde agitando, deinde filtrentur, et quod remanet, Aqua frigida elutum, siccetur. Tritum bis terve cum

Spiritus Vini rectificatissimi Partibus octo

digeratur. Tincturas commixtas destillationi subjice, donec non nisi circiter **Unciae quatuor** supersint. His adde

Acidi sulphurici diluti Drachmas quinque,

aut quantum ad neutralisationem Chinini requiritur, quo facto liquor, si necesse est, evaporatione lenta et agitatione adhibitis in massam salinam abeat. Hanc exprime, quod remanet cum Aquae destillatae portiuncula misce, iterum exprime, et hac operatione bis terve repetita, residuum in

Aquae destillatae ferventis Libris novem ad decem

solve. Liquorem coloris vini albi gallici lege artis in crystallos redige.

Sint crystalli albissimae, splendentes, acifor-

Verschreibt man das schwefelsaure Chinin zu einer Auflösung mit Wasser, so hat man auf jeden gran des Salzes 1 Tropfen dilutirte Schwefelsäure zu setzen, damit die Bestandtheile gehörig ausgezogen werden.

mes, valde flexiles, in aqua parum, in Spiritu Vini rectificatissimo fervente facile, nec non in aethere sulphurico solubiles, sapore peramaro, odoris nullius.

Eodem modo paratur:

Cinchonium sulphuricum

e cortice Chinae fusco et regio, eo tamen discrimine, ut liquor spirituosus sub finem obtentus destillationi subjiciatur, crystalli inde natae acido sulphurico diluto neutralisentur, et sic solutae, evaporatione et crystallisatione turbata in pulverem album redigantur, ex quo repetita crystallisatione ope aquae sal purus evadit, a chinino sulphurico non nisi majoribus crystallis, majori solubilitate in aqua, minori in Alcohol, et mitiore amaritie diversus.

Vires: Cinchonii sulphurici ac Chinini sulphurici fere sunt eaedem febrifugae, nervinae, cerebrum quodammodo molestantes, susurrum aurium cientes.

Usus: in febribus intermittentibus, spasmis periodicis.

Dosis: pro infantibus granum unum; pro adultis grana duo ad tria.

Colocynthis praeparata.

(*Trochisci Alhandal.*)

℞. **Pulpae Colocynthidum**, a seminibus liberatae minutim concisae, **Uncias quinque**,
Gummi arabici pulverati **Unciam unam.**

Cum Aquae sufficiente quantitate fiat pasta, quae exsiccata in pulverem redigatur subtilem.

Vis et Usus vid. supra P. 1.

Conserva Sabinae.

℞. Foliorum recentium Sabinae Libram unam.

Contundantur in mortario lapideo, ope pistilli lignei ad pultis consistentiam, admiscendo successive

Sacchari albissimi pulverati Libras tres.

Servetur in vase porcellaneo.

Vis et Usus: Herbae Sabinae.

Dosis: Cochlear parvulum omni trihorio.

Crocus Metallorum.

(*Stibium oxydulatum fuscum.*)
(*Antimonium oxydulatum fuscum.*)

℞. Stibii sulphurati nigri,
Kali nitrici depurati siccati, singulorum Par pondus.

Pulverata et mixta in olla ferrea munda accendantur, pruna admota. Post detonationem massa refrigerata in pulverem redigatur, Aqua fervida sedulo edulcoretur, et siccetur.

Vis: summo gradu emetica.

Usus: pharmaceuticus.

Cuprum aluminatum.

(*Lapis divinus.*)

℞. Cupri sulphurici,
Kali nitrici depurati,
Aluminis crudi, singulorum Uncias duas.

Contusa liquefiant in vase terreo vitreato, calore arenae; liquefactis et ab igne remotis admisce

Camphorae tritae Drachmam unam.
Massam refrigeratam serva.

Vis: *adstringens, tonica.*
Usus: *in ophthalmiis chronicis ab atonia vasorum.*
Dosis: *Drachma dimidia solvitur una cum granis quinque Ammonii muriatici, in Aqua Rosarum Unciis duabus (Theden).*

Cuprum sulphurico-ammoniatum.

(*Cuprum ammoniacale.*)

℞. Crystallorum Cupri sulphurici puri, quantum placet.
In vase vitreo sensim adde
Liquoris ammonii caustici
quantum requiritur, ut cuprum sulphuricum, et quod ab initio oritur praecipitatum, perfecte solvantur. Liquori cyaneo adde
Spiritus vini rectificatissimi parem quantitatem,
et crystallos e liquore excussas, coloris coerulei saturati, absque calore sicca, et in vitro accurate clauso, loco obscuro, serva.

Vis: *emetica, adstringens, antispastica.*
Usus: *in variis affectionibus mere nervosis, Epilepsia, Chorea St. Viti et Hysteria.*
Dosis: *granulum dimidium bis die, sensim ascendendo ad grana tria.*

Cuprum sulphuricum purum.

(*Vitriolum de Cypro.*)

℞. Ramentorum Cupri, Partem unam,

Acidi sulphurici crudi Partes tres,
antea cum
Aquae Parte una, caute mixtas.

In cucurbita vitrea coque in balneo arenae, ut solvantur ramenta cupri. Gas acidum sulphurosum erumpit, et massa fusca relinquitur, quae
Aquae destillatae quantitate sufficiente
solvenda. Lixivium colatum evaporatione concentrari ac loco frigido seponi debet, ut crystallos largiatur, lege arte siccandas.

Vis: *emetica, purgans non sine inflammationis periculo.*
Usus: *ut emetici in veneficio ab Opio et Arsenico, praeterea in Scrophulis, in laryngitide infantum, haemorrhagia, et Gangraena atonica; externe ut stypticum adhibetur in haemorrhagia narium, ad ulcera fungosa et condylomata.*
Dosis: *grani pars octava ad granum unum. Ut emetici: grana quatuor — sex.*

Decoctum album Sydenhami.

℞. Cornu Cervi raspati,
Micae Panis, singulorum Unciam dimidiam
coque cum Aquae destillatae Libris tribus
ad tertiae partis consumptionem. Colaturae adde
Gummi arabici Drachmas duas.

Vis: *demulcens, nutriens.*
Usus: *in diarrhoeis chronicis et colliquativis, in Dysenteria, Phthisi et tabe.*
Dosis: *Librae duae vel tres.*

Decoctum Helicum pomatiarum compositum.

(*Lac asininum artificiale.*)

℞. Helicum pomatiarum Nr. sex,
Cornu Cervi raspati,
Hordei perlati, singulorum Drachmas tres,
Aquae destillatae Libras duas.
Coque ad colaturam Librae unius.
Admisce
Syrupi Capillorum Veneris Unciam unam.

Vis: involvens, nutriens.

Usus: in Phthisi pulmonali, aliisque tabis generibus.

Dosis: Cochlear unum omni bihorio, vel mane ac vespere Unciae quatuor cum lactis aequali portione.

Elaeosaccharum Anisi.

℞. Sacchari albissimi pulverati Unciam unam,
Olei anisi aetherei Guttas viginti quatuor.
Misce.
Eodem modo parantur:
Elaeosacchara Calami;
Chamomillae;
Cinnamomi; (ex oleo aether. Cinnamomi Ceylonensis).
Foeniculi;
Menthae piperitae;
Valerianae;
et reliqua.

Elaeosaccharum Flavedinis Citri.

Paratur quoque, atterendo fructibus Citri recentibus Sacchari frustula, donec oleosa Flavedinis substantia satis impraegnata sint.

Vis: omnium Elaeosaccharorum est calefaciens, analeptica, nervina.
Usus: idem ac olei aetherei ex quo parantur.
Dosis: Drachma dimidia.

Electuarium anthelminticum Störckii.

℞. Seminis Cynae pulverati Unciam unam,
Radicis Valerianae pulveratae,
— Jalappae pulveratae,
singulorum Drachmas duas,
Kali Sulphurici pulverati Unciam dimidiam,
Oxymellis Scillitici Uncias quinque.
Misce.

Vis: anthelmintica.
Usus: adversus lumbricos.
Dosis: Cochlear parvulum ter die.

Nota. *Electuario huic valde nauseoso utiliter substitui potest — Electuarium sequens.*

Rcpt. Pulveris rad. Valer.
— filic. maris,
— Semin. Santon.
singulorum drachmae tres.
Mellis communis s. q. ut fiat electuarium.

Dosis: pro infantibus minoris aetatis, cochlearculum unum, majoris aetatis cochlearcula duo omni trihorio, usque dum portio

supra memorata bis sit consumpta, dato simul quatuor primis diebus sub Vesperem grano uno Mercurii dulcis cum Saccharo, finito vero electuario, remedio fortiter purgante e radice Jalappae.

Electuarium dentifricium.

(*Electuarium gingivale.*)

℞. Pulverum subtilissimorum Lapidis Pumicis,
Tartari depurati,
singulorum Uncias sex,
Lapidum Cancrorum,
Myrrhae,
Iridis florentinae,
singulorum Uncias duas,
Coccionellae Drachmas sex.

Misce et adde
Mellis rosati Libras tres.
Olei Caryophyllorum Drachmam unam.
Fiat Electuarium.

Vis et usus e nomine cognoscuntur.

Electuarium e Senna.

(*Electuarium lenitivum.*)

℞. Caricarum Uncias sex,
Radicis Liquiritiae Uncias duas.
Coque ex
Aquae fontanae Libris tribus
ad Colaturam Unciarum sedecim, in quibus dissolve

Sacchari albi Uncias sedecim.
Huic syrupo immisce
Pulpae Tamarindorum,
Prunorum, singul. Uncias quinque,
et postremo
Pulveris Foliorum Sennae Uncias quatuor,
— Seminis Coriandri Uncias duas.
Serva.

Vis: laxans.

Usus: ad sollicitandum alvum segnem.

Dosis: Cochlear parvulum unum aut alterum die.

Electuarium mundificans.

℞. Pulveris Radicis Sarsaparillae Uncias tres,
Rhei Drachmas duas,
Ligni Guajaci Unciam unam,
Foliorum Sennae Unciam unam cum dimidia,
Ligni Sassafras,
Seminis Anisi, singulorum Drachmam unam.
Misceantur cum
Mellis despumati Unciis octodecim,
Serva.

Vis: laxans, alterans.

Usus: in eruptionibus cutaneis febre imunibus.

Dosis: Cochlear parvulum bis die.

Electuarium Theriaca.

(Theriaca.)

℞. Radicis Angelicae Uncias sex,
Serpentariae Virginianae Uncias quatuor,
Valerianae minoris,
Scillae,
Zedoariae,
Cassiae cinnamomeae, singulorum pulveratorum Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Myrrhae,
Croci,
Caryophyllorum,
Ferri sulphurici crystallisati,
Opii, singulorum in pulverem redactorum Unciam unam,
Mellis despumati Libras sex.

Melli paululum calefacto addatur Opium, in Vini Malacensis quantitate sufficiente dilutum: deinde admisceantur caetera, in pulverem trita. Serva.

Nota. *Theriacae hujus Unciae singulae continent Opii Grana circiter quinque.*

Vis: excitans, diaphoretica, diuretica, antispastica.

Usus: internus electuariorum opiatorum non admodum laudandus, ob dosin opii plus minus incertam; externe commode Theriaca malaxata cum emplastris nonnullis discutientibus adhibetur.

Dosis: Drachma dimidia ad integram; in emplastris pars quarta.

Elixir Aurantiorum compositum.

℞. Corticum Aurantiorum, a parenchymate interno mundatorum Uncias quatuor,
Fructuum Aurantiorum immaturorum,
Cassiae Cinnamomeae, singulorum Uncias duas,
Kali carbonici e Tartaro Unciam unam,
Vini Malacensis Libras quatuor.

Post digestionem sufficientem exprime. In Colatura solve

Extracti Absinthii,
Cascarillae,
Gentianae,
Trifolii, singulor. Unciam unam,
Olei de Cedro Drachmas duas in
Spiritus sulphurico-aetherei Unciis duabus

solutas. Serva.

Vis: antacida, stomachica.
Dosis: Cochlear modicum.

Elixir e Succo Liquiritiae.

(*Elixir pectorale Regis Daniae.*)

℞. Succi Liquiritiae depurati Uncias duas,
Aquae foeniculi Uncias sex.

Solutis et colatis adde

Liquoris Ammonii anisati Uncias duas.

Serva.

Vis: incitans, incidens, expectorans.
Usus: in raucedine aliisque affectionibus catarrhalibus pulmonum non febrilibus, in ultimo stadio phthiseos.
Dosis: guttae triginta ad quadraginta.

Elixir Proprietatis sine Acido.

℞. Aloes lucidae,
Croci,
Myrrhae, singulorum Unciam unam,
Kali tartarici Uncias tres
Aquae destillatae Uncias septem,
Spiritus Vini rectificati Uncias quatuordecim.

Digerantur per triduum. Liquorem effunde et serva.

Vis: antacida, stomachica, alvum incitans.
Usus: optime conducit iis qui cibos non bene concoquunt, Soda, Cardialgia et obstructione alvi vexantur; hypochondriacis, foeminis amenorrhoea detentis; propensis ad melaenam nocet.
Dosis: Drachma dimidia ad integram aliquoties die.

Elixir Proprietatis cum Rheo.

℞. Aloes lucidae Drachmas sex,
Myrrhae Drachmas duas,
Croci Drachmam unam,
Radicis Rhei Unciam dimidiam.

Concisis et contusis in cucurbita affunde
Vini Malacensis Uncias octo,

Acidi

Acidi muriatici puri Unciam unam, stent vase optime obturato in loco tepido per octiduum, tum cola et serva.

Vis: tonica, incidens, purgans.

Usus: in Atonia viscerum chylopoieticorum, viscida stercorum conditione, ac molesta eorundem excretione, in amenorrhoea.

Dosis: guttae quinquaginta ad octoginta.

Elixir viscerale Hoffmanni.

℞. Extracti Cardui benedicti,
Cascarillae,
Centaurei minoris,
Gentianae,
Myrrhae, singul. Drachmas duas,
Vini Malacensis Libras duas,
Tincturae Aurantiorum Corticum Uncias octo,
Dissolvendo misce.

Nota. *Cum huic elixirio addatur Kali acetici Uncia dimidia; nascitur Elixirium viscerale Kleinii.*

Vis: stomachica.

Usus: in debilitate Ventriculi ac intestinorum.

Dosis: Guttae sexaginta vel octoginta.

Emplastrum Ammoniaci.

℞. Ammoniaci Uncias sex,
Galbani Uncias duas,
Cerae flavae,

Resinae Pini,
Terebinthinae communis, singul. Uncias quatuor.

Cerae et Resinae liquatis et refrigeratis admisce Ammoniacum et Galbanum, in Terebinthina leni calore soluta, ut fiat lege artis emplastrum.

Vis: discutiens, incitans.
Usus: ad Tumores frigidos, nec non ad abscessus maturandos tempore cataplasmatibus haud idoneo.

Emplastrum aromaticum.

(*Loco Emplastri stomachici.*)

℞. Cerae flavae Uncias octo,
Sevi Ovilli Uncias sex.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Pulveris Olibani Uncias quatuor,
Caryophyllorum Uncias duas,
Olei Nucistae Unciam unam cum dimidia,
Menthae piperitae Drachmas duas.
Serva bene.

Vis: carminativa, confortans.
Usus: Stamacho ac infimo ventri, flatulentia et spasmis vexatis imponitur. Virtus calorem continendi, hic non parvi faciunda.

Emplastrum Cantharidum.

(*Emplastrum vesicatorium.*)

℞. Cerae flavae Uncias duodecim,
Terebinthinae communis,

Olei Olivarum, singulorum Uncias tres.
Liquatis et semirefrigeratis immisce
Cantharidum grossiuscule tritarum Uncias sex,
ut fiat emplastrum.

Vis: excorians, derivans, stranguriam excitans.

Usus: ad derivandam irritationem partium internarum, seu cuti subjacentium, Venaesectione non indicata, vel sufficienter peracta; ad resolvendos glandularum tumores frigidos; ad destruendas parasiticas cutis efflorescentias herpeticas; ad formandos fonticulos.

Stranguriae a cantharidibus excitatae Camphora optime occurrit.

Emplastrum Cantharidum perpetuum.

(*Emplastrum Vesicatorium perpetuum.*)

℞. Terebinthinae communis,
Pulveris Mastiches singulorum Uncias sex.
Leni calore liquatis immisce
Pulveris Cantharidum Uncias duas,
Euphorbii Unciam unam.
Fiat emplastrum.

Vis: lentior sed magis perdurans ac Emplastri vesicatorii simplicis.

Usus: in affectionibus inflammatoriis et rheumaticis chronicis.

Emplastrum Cerussae.

(Emplastrum album coctum.)

℞. Lithargyri subtilissime pulverati Libras duas,
Olei Olivarum Libras sex cum dimidia.

Coquantur sub agitatione continuata, instillando sensim modicam aquae fontanae calidae copiam, ne humidum deficiat. Post solutionem lithargyri adde

Cerussae pulveratae Libras sex.

Coque aquam addendo, donec fiat emplastrum.

Vis: siccans, temperans.
Usus: in decubitu, nec non in aliis levibus cutis exulcerationibus, in intertrigine.

Emplastrum Conii.

(Emplastrum Cicutae.)

℞. Cerae flavae Libram unam,
Colophonii,
Olei Olivarum, singulorum Libram dimidiam.

Liquatis et semirefrigeratis paullatim admisce
Pulveris Herbae Conii maculati Libram unam,
ut fiat emplastrum.

Vis: resolvens, anodyna.
Usus: ad tumores, imprimis glandularum scirrhosos.

Eodem modo parentur:

Emplastrum Hyoscyami.

Vis: *resolvens, sedans, suppurationem leniter promovens.*

Usus: *ad Ulcerationes e vesicatoriis, ad tumores dolentes imprimis glandularum.*

Emplastrum Meliloti.

Vis: *resolvens.*

Usus: *ad inflammationem tonsillarum, et tumores glandularum maxillarium ac parotidum.*

Emplastrum Cumini.

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libram unam,
Cerae flavae Uncias tres,
Olei coctae Chamomillae Uncias sex.
Liquatis leni calore et ab igne remotis adde
Olei aetherei Cumini Drachmam unam,
Pulveris subtilissimi Seminum Cumini Uncias sex.
Misce exacte.

Vis: *resolvens, discutiens, carminativa, confortans.*

Usus: *in flatulentia, tympanitide, et affectionibus hystericis.*

Emplastrum defensivum rubrum.

℞. Cerae flavae,

Sevi Ovilli, singulorum Uncias sex,
Cetacei Unciam dimidiam.
Liquatis et semirefrigeratis adde
Pulveris subtilissimi Minii Uncias tres,
Cerussae Uncias sex.
Camphorae Drachmas sex in
Olei Olivarum Unciis tribus solutas.
Misce.

Vis: *defendens ab inflammatione, temperans.*
Usus: *mammis ablactantium et Vulneribus citrà suppurationem sanandis imponitur, nec non ejusmodi ulceribus.*

Emplastrum foetidum.

(*Emplastrum resolvens.*)

℞. Ammoniaci Uncias duodecim,
Asae foetidae Uncias quatuor.
Supra lenem ignem emollitis immisce
Saponis Hispanici rasi Uncias duas,
Olei Olivarum Unciam unam.

Vis: *resolvens.*
Usus: *ad tumores lymphaticos et bursarum mucosarum.*

Emplastrum Galbani crocatum.

℞. Galbani aceto dissoluti Uncias sex,
Cerae citrinae Uncias duas,
Terebinthinae communis Unciam unam,
Emplastri Lithargyri simplicis,
Meliloti, singulorum Uncias tres,

Pulveris Croci Drachmas sex.
Misce secundum artem.

Vis: resolvens, mitigans.
Usus: ad tumores duros dolentes.

Emplastrum griseum.

(*Emplastrum consolidans.*)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libram unam,
Olei Olivarum Uncias quinque.
Liquatis adde
Pulveris subtilissimi Lapidis Calaminaris Uncias quatuor,
Masticheṣ,
Olibani, singulorum Drachmas duas.
Misce.

Vis: exsiccans.
Usus: in ulceribus cicatrice consolidandis.

Emplastrum Hydrargyri.

(*Emplastrum mercuriale.*)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Uncias viginti quatuor,,
Cerae flavae Uncias sex.
Liquentur leni calore, deinde ab igne remotis adde
Hydrargyri puri Uncias octo in
Terebinthinae communis, Unciis quatuor
antea diligenti agitatione extinctas. Misce exacte.

Vis: *resolvens.*
Usus: *ad glandulas induratas, et tophos venereos. Quotidie renovari debet.*

Emplastrum Lithargyri compositum.

(*Emplastrum Diachylon compositum*).

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libras quatuor,
Cerae flavae Libram dimidiam,
Ammoniaci,
Galbani,
Terebinthinae communis, singulorum Uncias quatuor.

Emplastro et Cera liquatis et aliquantulum refrigeratis, admisceantur Ammoniacum et Galbanum cum Terebinthina liquata.

Vis: *resolvens, maturans.*
Usus: *ad dissolvendos glandularum tumores et furunculos nascentes, eosque natos maturandos, nisi cataplasmate opus sit; ad varios abscessus suppuratione egentes.*

Emplastrum Lithargyri cum Resina Pini.

(*Emplastrum adhaesivum.*)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libras tres,
Resinae Pini Libram dimidiam.
Misce.

Vis: *glutinans, irritans.*

Usus: ad labia vulnerum connectenda; dolendum quod cutim subinde irritet, calore et humore vero cito mollescat et relaxetur.

Emplastrum Lithargyri simplex.

(*Emplastrum diachylon simplex.*)

℞. Lithargyri in subtilissimum pulverem triti Libras quinque,
Olei Olivarum Libras novem.

Coque moderato igne, spathula semper agitando, et pauxillum Aquae calidae subinde instillando, ad justam emplastri spissitudinem.

Vis: resolvens et maturans.
Usus: ad tumores in suppurationem tendentes.

Emplastrum Minii adustum.

(*Emplastrum Noricum.*)

℞. Olei Olivarum Libram unam,
Minii subtilissime pulverisati Uncias octo.

Coque sub perpetua agitatione, ut colorem fuscum et molliorem consistentiam acquirant, tunc semirefrigeratis admisce

Cerae citrinae Unciam unam cum dimidia,
Camphorae in pauxillo Olei Olivarum, solutae Drachmas duas.

Effunde in capsulas papyraceas.

Vis: defendens, leniens.
Usus: in decubitu, aliisque cutis inflammationibus, ulceribusque sanandis.

Emplastrum Opiatum.
(*Emplastrum cephalicum.*)

℞. Elemi,
Mastiches,
Olibani, singulorum Uncias quatuor,
Benzoës Uncias duas,
Terebinthinae communis Uncias sex.

In balneo aquae ad massam homogeneam redactis admisce

Opii pulverati Unciam unam.

Serva.

Vis: nervina, anodyna.
Usus: ad partes spasmis vexatas, caput tamen excipias.

Emplastrum Oxycroceum.

℞. Cerae flavae,
Picis,
Colophonii, singulorum Libram unam,
Terebinthinae communis Uncias quatuor,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhae,
Olibani,
Mastiches, singulorum Uncias duas,
Croci Unciam unam.

Cerae, Colophonio ac Pici colliquatis, ab igne remotis, colatis, atque parumper refrigeratis, Ammoniacum et Galbanum pulverata in Terebinthina soluta, mox et reliqua subtilissime pulverata addantur, et exacte misceantur pro emplastro.

Vis: discutiens, anodynum.
Usus: ad dolores internos lumborum, pectoris et imi ventris, imprimis rheumaticos calore dissipandos; ad luxationes repositas.

Emplastrum Picis liquidae.

℞. Picis liquidae Uncias quatuor,
Cerae citrinae Uncias duas,
Resinae Pini Drachmas duas.
Liquentur leni calore ut fiat emplastrum.
Vis: irritans, balsamica, depurans.
Usus: ad Ulcera saniosa scorbutica, ad faciei dolorem.

Emplastrum Saponatum.
(*Emplastrum Camphoratum.*)

℞. Emplastri Lithargyri simplicis Libras tres,
Cerae flavae Libram dimidiam,
Saponis Hispanici Uncias tres.
Leni igne mixtis et aliquantulum refrigeratis adde
Camphorae Unciam dimidiam in
Olei Olivarum pauxillo solutam.
Vis: resolvens, discutiens.
Usus: ad resolvendos tumores et humores stagnantes.

Emulsio Amygdalarum.

℞. Amygdalarum dulcium Uncias duas,
amararum Drachmam unam,

Aquae destillatae Mensuram dimidiam.
Fiat lege artis emulsio. Colaturae adde
Sacchari albi pulverati Uncias duas.

Vis: *blande nutriens, demulcens.*
Usus: *in statu irritato ventriculi, intestinorum ac pulmonum; diarrhoeis; tussi acri cum aqua Selterana mixta; pro vehiculo camphorae, kali nitrici, ammonii muriatici etc.*

Emulsio Amygdalarum composita.

℞. Amygdalarum dulcium Unciam dimidiam,
Seminum Hyoscyami Drachmam unam,
fiat cum
Aquae amygdalarum amararum dilutae Unciis octo,
emulsio. Colaturae admisce
Sacchari albi Drachmas sex,
Magnesiae ustae Drachmam unam.

Vis: *demulcens, sedans, antispastica.*
Usus: *centies probatus in Cardialgia et Vomituritione a nimia irritabilitate Ventriculi ejusque acore, oriundis.*
Dosis: *quavis hora, vel omni bihorio cochlear unum.*

Extractum Absinthii.

Absinthii vulgaris Summitatibus minutim concisis, in Vas stanneum immissis, affunde Aquae pluvialis fervidae Octuplum. Ebulliant leniter per horae quadrantem et liquorem ex-

prime. Residuum ex Aquae Quadruplo iterum per quadrantem horae leniter coque. — Decocta expressa et subsidendo depurata evaporent caute ac leni calore ad Extracti spissitudinem.

Vires extractorum in genere eaedem sunt ac simplicium, e quibus parata sunt.

Dosis: Extracti Absinthii Scrupulus dimidius ad integrum.

Eodem modo parantur

Extractum **Campechiani ligni;**
— **Cardui benedicti;**
— **Cascarillae;**
— **Centaurei minoris;**
— **Chamomillae;**
— **Chinae fuscae;**
— **Chinae regiae;**
— **Dulcamarae** Stipitum;
— **Fumariae;**
— **Gentianae;**
— **Graminis;**
— **Lupuli** e Strobilis.

Usus: in oppressione ventriculi chronica spastica.

Dosis: grana quindecim ad viginti.

Extractum **Marrubii;**
— **Millefolii** ex Herba cum Floribus;
— **Rhei;**

Extractum Saponariae radicum;
— Senegae radicum;
— Taraxaci;
— Trifolii;
— Valerianae.

Extractum s. Succus spissatus Aconiti.

Herba Aconiti Neomontani recens, antequam effloruerit collecta, contundatur in mortario lapideo, adspergendo pauxillum Aquae, et exprimatur succus, qui statim absque defaecatione in balneo Aquae, continue sub finem spathula lignea agitando evaporet ad spissitudinem extracti rigidioris. Extractum super patinas porcellaneas tenui strato expansum in loco non nimis calido ad siccitatem redigatur. Contrita serva in vitro obturato.

Dosis: grana duo cum Saccharo et sensim plura.

Pari modo paranda sunt:

Extractum Belladonnae.

Dosis: granum unum et ultra, semel die, vel alternis diebus.

Extractum Chelidonii majoris.

Dosis: grana decem pluries die.

Extractum Conii maculati.

Dosis: granum unum et ultra pluries die.

Extractum Digitalis purpureae.

Dosis: granum unum, semel bisve die.

Extractum Gratiolae.

Dosis: grana duo ad decem bis die, caute ascendendo, in ulceribus pedum inveteratis.

Extractum Hyoscyami.

Dosis: grana duo ad quatuor vid. Herba.

Extractum Lactucae virosae.

Dosis: grana duo ad tria.

Extractum Stramonii.

de Usu vid. Herba.
Dosis: granum unum semel, bis? terve die?

Extractum Aloes.

℞. Aloes lucidae Libram dimidiam.
In pulverem redactae affunde,
Aquae destillatae Libras duas.

Macera per quadraginta octo horas, saepius agitando, et liquor depuratus et colatus in patina porcellanea balneo vaporis imposita ad eam densitatem redigetur, ut pulverari queat. Serva in vase bene clauso.

Dosis: uti eccoprotici granum unum et alterum.

Eadem methodo parantur:

Extractum Myrrhae.

Dosis: grana quatuor ad sex pluries die.

Extractum Opii.

Dosis: granum unum et alterum, semel die.

Extractum Chinae fuscae frigide paratum.

℞. Corticis Chinae fuscae in pulverem grossiusculum redacti Libras tres,
Aquae destillatae Libras triginta sex.

Macerentur, subinde fortiter agitatae, per horas quadraginta octo. Residuum expressum macera denuo cum

Aquae destillatae Libris octodecim,

cola et exprime. Liquores commixtos ad subsidentiam sepone, et filtra, dein in catino stanneo balneo vaporis imposito leni igne evaporent ad mellaginis consistentiam. Massam refrigeratam dilue

Aquae destillatae ea quantitate

ut filtrari possit. Post filtrationem per chartam bibulam liquor iterum in balneo vaporis ad mellaginis consistentiam inspissetur et operatio repetatur, donec extractum solutione limpida solvatur. Tunc liquor in balneo vaporis ad extracti consistentiam inspissetur.

Usus: quando China nec in substantia, nec in decocto aut in infuso bene fertur.

Dosis: grana decem ad Drachmam dimidiam.

Eodem modo Extracta frigide parata

Extractum Chamomillae;
Chinae regiae;

Extractum

Extractum Millefolii ex Herba cum floribus;
Valerianae
tractantur, ac eadem dosi praebentur.

Extractum Colocynthidis compositum.

(*Loco Extracti catholici et panchymagogi.*)

℞. Pulpae colocynthidis concisae Drachmas sex,
Aloes lucidae pulveratae Unciam unam cum dimidia,
Scammonei Halepensis pulverati Unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificati Uncias duodecim.

Macera pulpam Colocynthidis in Spiritu Vini leni calore per quatriduum. Liquorem cola eique adjice Aloen et Scammoneum; deinde in balneo vaporis Spiritum semper agitando consume et sub finem

Extracti Rhei Drachmas duas

admisce. Tum agitando ad massae pilularis spissitudinem redige.

Vis: purgans, hydragoga.
Usus: in Hydrope, obstructione alvi habituali.
Dosis: grana quatuor ad octo.

Extractum Colombo.

℞. Radicum Colombo Libras duas.
Crassiuscule contusis affunde
Spiritus Vini rectificati,

Aquae pluvialis singulorum Libras decem.

Digere per quadraginta octo horas, subinde agitando. Exprime et e liquore colato Spiritum Vini blanda destillatione elice. Residuum in balneo vaporis agitando ad massae pilularis spissitudinem redige.

Dosis: Scrupulus dimidius ad integrum.

Pari modo paranda sunt:

Extractum Colocynthidis
(e pulpa a seminibus purgata).

Dosis: grana tria ad octo.

Extractum Helenii.

Decocto radicis postponendum.

Dosis: grana decem ad quindecim.

Extractum Hellebori nigri.

Dosis: grana tria ad duodecim.

Extractum Ratanhae.

Dosis: Scrupulus dimidius.

Extractum Scillae.

Dosis: granum unum ad tria.

Extractum Elaterii.

℞. Poma Elaterii matura discinde et succum levissime expressum per cribrum setaceum subtilissimum in vas vitreum cola, deinde per aliquot

horas sepone, donec crassior pars subsiderit. Rejecta parte tenuiore supernatante, partem crassiorem leni calore exsicca.

Vis: emetica, drastica, hydragoga, emmenagoga, abortiva?
Usus: in Hydrope, asthmate.
Dosis: grani pars sedecima ad grana quinque quotidie.

Extractum Ferri pomatum.

(*Extractum martis pomatum.*)

℞. Ferri puri limati Libram unam,
Succi Pomorum acidulorum Libras quatuor.

Digerantur saepius agitando per aliquot dies. Postea coquantur leni igne ad dimidiae partis consumtionem. Liquor per linteum colatus evaporet ad justam spissitudinem.

Vis: tonica, anthelmintica.
Usus: in Hypochondria ex atonia viscerum.
Dosis: grana decem ad viginti.

Extractum Graminis liquidum.

(*Mellago Graminis.*)

℞. Radicum recentium Graminis albi Libras duodecim.

Concisas contunde in Mortario ferreo, addendo Aquae pluvialis Libras sex.

Exprime succum, quem post unicam ebullitionem in vase stanneo cola, et leni calore ad mellis recentis spissitudinem redige.

Usus ac dosis vid. Radix.

Eodem modo parantur Extracta liquida.

Taraxaci,
(*Mellago Taraxaci*) e radicibus recentibus cum herba juniori primo vere collectis.

Usus ac dosis vid. Radix.

Trifolii,
(*Mellago Trifolii*) e foliis recentibus.

Usus: vid. Herba.
Dosis: Drachma dimidia ad integram.

Nota. *Extracta hoc modo praeparata non nisi tempore vernali requiri possunt. Alio tempore vero parentur uti extractum Absinthii, sed liquores obtenti ad mellis recentis spissitudinem tantum redigantur.*

Extractum Hyoscyami e seminibus.

Cf. Stieglitz path. Unt. II. 178.

℞. Seminis Hyoscyami, grossiuscule pulverati Libram unam,

coque cum

Aquae pluvialis Libris octo

ad remanentiam librarum duarum, et cola. Residuum denuo coque cum aquae libris decem ut remaneant librae quatuor, quas etiam cola. Utrumque decoctum jam misce, et sepone per viginti quatuor horas, ut emergat oleum et subsideant faeces. Oleo remoto, liquorem decanta a faecibus. Tum liquori, modico calore ad tertiam partem reducto et refrigerato, admisce

Spiritum Vini rectificatum
quamdiu inde turbatur. Tum Liquor, decantatione et filtratione a sedimento liberatus, in patina porcellanea balneo vaporis imposita, sub perpetua agitatione cum spathula lignea ad eam densitatem redigetur, ut pulverari queat.

Vis et usus: uti extracti ex herba, sed multo validior immo praestantior.
Dosis: granum dimidium, unum.

Pari modo paratur:

Extractum Stramonii e seminibus.

Vis et usus vid. Herba.
Dosis: grani pars quarta ad granum integrum, bis terve die.

Extractum Nicotianae.

℞. Folia Nicotianae Libram unam,
Aquae pluvialis Libras octo.

Infunde, quamdiu liquor gustum acrem habet ex recenti aqua. Cola expressione, et rejice infusa. Denuo infunde et coque cum eadem quantitate aquae, cola et redige liquorem in balneo maris ad massae pilularis spissitudinem.

Usus: in tussi ferina, asthmate.
Dosis: granum unum ter, quaterve die.

Extractum Nucum Juglandis.

E Nucibus Juglandis nondum maturis in mortario lapideo cum pauxillo aquae contusis exprime succum, quem in balneo vaporis ad massae pilularis spissitudinem redige.

Usus: vid. Nuces.
Dosis: grana sex ad decem.

Extractum Nucum Vomicarum spirituosum.

℞. Nucis Vomicae raspatae, quantum placet.
Alcohol quantum satis ut nuces contegat.

Digeratur nux in Alcohol, tam diu renovando, usque dum novum Alcohol nullo demum colore, nulloque sapore inficiatur; tunc mixtae tincturae omnes per chartam bibulam trajiciantur. Destillent deinde donec quinta pars tantum supersit, quam tandem sub balnei maris calore in densitatem pilulis aptam, coire curabis.

Habebitur sic extractum virtute superans substantiam nucis duodecuplo.

Vis et Usus: vid. Nux Vomica.
Dosis: granum dimidium ad integrum, ter die.

Extractum Papaveris albi.

℞. Capitum Papaveris exemtis seminibus Libram unam,
Aquae pluvialis ferventis Libras octo.

Macera per horas viginti quatuor, tunc decoque ad Libras quatuor. Liquor colatus, in patina porcellanea balneo vaporis imposita, ad eam densitatem redigetur ut pulverari queat. Serva.

Vis: antispastica, sedativa, somnifera.
Usus: in agrypnia, affectionibus spasticis, tussi ferina.
Dosis: granum unum et alterum semel bisve die.

Extractum Quassiae.

℞. Rasurae ligni Quassiae Libras duas
Aquae pluvialis Libras viginti quatuor.

Decoquantur per horam et liquor coletur. Repetatur coctio ex aqua recenti eodem modo bis, terve. Decocta prout subsiderint, colata, evaporent ad extracti spissitudinem, sub finem addendo pauxillum

Spiritus Vini rectificati

ut fiat massa uniformis.

Usus: vide lignum.
Dosis: grana decem.

Farina Hordei praeparata.

℞. Farinae Herdei quantum placet.

Immitte sacco linteo, quem ita liges, ut intersit inter farinam et ligamentum interstitium volae manus. Saccum tunc in aheno, stanno obducto et aqua repleto, eo modo suspende, ut aqua tegatur ac nullibi aheni parietes attingat. Aqua nunc coquitur per quatuordecim horas sine interruptione. Massa tunc farinacea, in densam pastam mutata in patinam excutitur, ejusque pars corticalis exterior lubrica, pollicem plerumque superans, cultro egregie scindente aufertur; interior vero pars nucleum quasi repraesentans bene siccatur, in pulverem subtilem redigitur, et servatur loco arido.

Vis: blande nutriens.
Usus: in Phthisi pulmonali, Tabe, emaciatione e lactatione.
Dosis: pro Adulto paratur pulmentum e farinae cochleare uno aut altero cum lactis

vaccini Unciis sedecim leni digestione, sub perpetua agitatione, et additur pro lubitu saccharum; pro infante duodecim annorum quantitas dimidia.

Fel Tauri inspissatum.

Fel Tauri recens in balneo vaporis ad Extracti spissitudinem evaporet.

Vis: stomachica, digestiva, antacida.
Dosis: Scrupulus dimidius.

Ferrum carbonicum.

℞. Ferri sulphurici crystallisati puri recenter parati quantum placet,
solve in sufficiente quantitate
Aquae destillatae frigidae.
Solutionem filtra eique admisce
Natri carbonici depurati solutionem aqua destillata frigida paratam et filtratam, quamdiu praecipitatum insequitur. Hoc sufficienter elue aqua destillata frigida, filtro linteo, postremo prelo submisso, a fluido quantum fieri potest, separa, et tunc inter densas chartae bibulae strages, ab aëris accessu defensum sicca, et vase bene clauso serva.

Vis: deobstruens, tonica, nervina.
Usus: contra glandularum intumescentiam ac indurationem, scirrhum mammarum et uteri, chlorosin, fluorem album ex atonia, prosopalgiam aliasque neuralgias.
Dosis: Scrupulus dimidius ad integrum.

Ferrum muriaticum oxydatum.

℞. Ferri oxydati hydratici Uncias quatuor,
coque in cucurbita vitrea cum
Acidi muriatici puri Unciis sedecim
ad saturationem solutionis quam tunc filtratam in vase porcellaneo leni calore eousque evaporare fac, ut guttula exemta et laminae frigidae instillata protinus rigescat; quo facto vas statim ab igne removeatur, quod continet vero, perpetuo agitetur, usque dum penitus riguerit, vase tunc bene clauso servandum.

Vis: deobstruens, tonica, styptica.

Usus: in atonia vasorum lymphaticorum et sanguiferorum, in Scrophulis, rhachitide, Spina ventosa, obstructione viscerum, amenorrhoea, haemorrhagiis uteri atonicis.

Dosis: non nisi octuplo aquae solutum datur, ad guttulas viginti vel triginta ter quaterve die, cum aqua aromatica dilutum.

Ferrum oxydatum hydraticum.

(Ferrum oxydatum fuscum).

℞. Ferri puri limati Unciam unam,
solve in quantitate sufficiente liquoris, ex
Acidi muriatici puri Partibus duabus,
nitrici puri Parte una
commixti. Solutionem aqua destillata calida satis dilue et decompone cum
Liquore Natri carbonici depurati.
Praecipitatum probe edulcora, sicca, et serva.

Usus pharmaceuticus.

Ferrum oxydulatum nigrum.

(*Aethiops martialis*).

℞. Ferri oxydati hydratici quantum placet.
Irrora
Olei Olivarum quantitate sufficiente
ut fiat pulvis humidiusculus, qui in retortam vitream immissus, ad siccum destillet, igne ad pulveris fere excandescentiam aucto. Residuum nigerrimi coloris tere, et in vitro obturato serva.

Vis: tonica, sanguificationem depravatam corrigens, obstructiones a laxitate resolvens.

Usus: in obstructione viscerum, in chlorosi, amenorrhoea, post haemorrhagias, febres intermittentes, in genere in irritabilitate vasorum imminuta.

Dosis: grana sex ad decem pluries die.

Ferrum pulveratum vid. P. I. pag. 38.

(*Limatura Martis praeparata.*)

Vis et usus: uti Ferri oxydulati nigri.

Dosis: grana tria ad decem, pluries die.

Ferrum sulphuricum crystallisatum purum.

(*Ferrum sulphuricum oxydulatum.*)
(*Vitriolum Martis.*)

℞. Acidi sulphurici crudi Uncias duodecim.
Misce in cucurbita vitrea cum
Aquae pluvialis quadruplo;
successive immitte

Ferri puri limati tantum
ut ultima pars Ferri non soluta remaneat. Tum filtra et lege artis in crystallos redige. Serva in vasis bene obturatis.

Vis: *tonica, styptica, anthelmintica.*
Usus: *in laxitate vasorum, haemoptysi aliisque haemorrhagiis, fluore albo, contra taeniam.*
Dosis: *grana duo vel tria pluries de die.*

Fomentatio frigida.

℞. Ammonii muriatici pulverati,
Kali nitrici depurati pulverati singulorum Unciam unam,
Aquae fontanae Mensuram unam cum dimidia,
Aceti Vini crudi Uncias duodecim.
Misce.

Vis: *refrigerans, antiphlogistica.*
Usus: *externus, ad repellendas congestiones sanguinis, tam interna quam externa vi excitatas.*

Gelatina Lichenis Islandici.

℞. Lichenis Islandici Uncias duas,
coque cum
Aquae destillatae Unciis triginta
ad colaturam Unciarum sex.
In liquore colato solve
Sacchari albissimi Uncias quatuor
et liquorem denuo colatum sepone loco frigido, ut abeat in gelatinam.

Vis: nutriens, involvens.
Usus: in blennorrhoea pulmonum, tabescentia.
Dosis: Uncia una et altera die.

Gelatina radicum Salep.

℞. Radicis Salep subtiliter pulveratae Drachmas duas.
Ebulliant cum
Aquae destillatae Unciis octo.
Liquori colato admisce
Syrupi corticum Aurantiorum Unciam unam cum dimidia.

Vis: involvens, nutriens.
Usus: in tussi, Phthisi pulmonali, tabe, atrophia.
Dosis: Unciae duae pro die.

Globuli Tartari martiati.

(*Globuli martiales solubiles.*)

℞. Ferri limati et in pulverem redacti Partem unam,
Tartari crudi pulverati Partes quatuor.
Mixta in vase figulino humectentur aqua, ut fiat massa pultiformis, quam sub diu, aut arenae balneo exsicca, iterum humecta et sicca, idque toties repete, donec massa quasi resinosa appareat. Formetur in globulos.

Vis: tonica.
Usus: externus pro balneis.
Dosis: Unciae duae vel tres.

Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.

(*Mercurius praecipitatus albus.*)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici singulorum Uncias octo.

Solve in
Aquae destillatae fervidae Libris octo,
filtra et instilla
Natrum carbonicum depuratum in aqua solutum quamdiu pulvis albissimus praecipitatur, quem aqua frigida ablutum, loco umbroso sicca et serva.

Usus: externus ad Scabiem, Herpetem, exanthemata syphilitica, psorophthalmiam.

Hydrargyrum depuratum.

(*Mercurius depuratus*).

℞. Hydrargyri quantum placet.

Immitte retortae ita ut tertia ejus pars vacua supersit, aptato tunc balneo arenae, excipulum ad dimidiam aqua repletam, eo modo adjunge ut os retortae superficiem aquae fere attingat; ignem tunc caute intende, ut hydrargyrum ebulliat, et sic perge, usque dum quinque sextae partes hydrargyri transierint.

Usus pharmaceuticus.

Hydrargyrum muriaticum mite.

(*Mercurius dulcis. Calomelas.*)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi Partes quatuor.

In Mortario vitreo aut lapideo caute, et Spiritus Vini aliquot guttas subinde inspergendo, pulveratis adde

Hydrargyri puri Partes tres.

Misce terendo, donec globuli Hydrargyri penitus disparuerint. Immitte in cucurbitam vitream oblongam, et lege artis sublima. Massam sublimatam puriorem contere, et denuo sublima. Tunc in pulverem substilissimum tere, affusa aqua destillata fervente lava, sicca et sollicite serva.

Vis: antisyphilitica, antirheumatica, antiphlogistica sanguinis evacuatione sufficiente praegressa, anthelmintica, purgans, ptyalismum ciens.

Usus: in affectionibus venereis, rheumatismo chronico, Hepatitide, peritonitide, febre puerperarum, laryngitide, pleuritide, meningitide, ophthalmitide, aliisque affectionibus inflammatoriis venaesectione superstitibus; contra Vermes intestinales, in tetano.

Dosis: variare debet ratione objecti et subjecti, adeo ut quibusdam granum unum pro die sufficiat, aliis imprimis infantibus, Scrupulo opus sit. Protractus eius usus insidiis non vacat.

Hydrargyrum oxydatum rubrum praeparatum, seu laevigatum.

℞. Hydrargyri oxydati rubri venalis Libram unam.

Aqua addita in porphyrite tritum, fiat pulvis subtilissimus, qui per aliquot horas digeratur cum

Natri carbonici depurati Uncia dimidia soluti, in Aquae destillatae Libra una, et tunc sat bene elutus, siccetur et servetur.

Vis: *antisyphilitica, irritans, corrosiva.*

Usus: *in lue venerea inveterata interne datur ad octavam, quartam, immo dimidiam grani unius partem, semel die. Externe ad condylomata, verrucas, ulcera venerea, aliaque torpida, quin et in collyriis adhibetur.*

Hydrargyrum oxydulatum nigrum.

(*Mercurius solubilis Hahnemanni.*)

℞. Liquoris Hydrargyri nitrici oxydulati recenter parati Uncias octo,
Aquae destillatae Libram unam.

Mixtis instilla inter continuam agitationem
Liquoris Ammonii caustici Unciam dimidiam

antea dilutam
Aquae destillatae Unciis quatuor.

Sedimentum decantatione et filtratione separatum, aqua destillata ablue, inter chartam bibulam preme, leni calore loco umbroso sicca, et tritum in vasis obturatis denigratisque caute serva.

Sit coloris nigerrimi, absque globulis hydrargyri immixtis, candefactum ex toto volatile; in acido acetico fervido relictis globulis metallicis solubile.

Egregium ad luem veneream remedium prae-

bet, nec ptyalismum nec diarrhoeam facile inducens.

Dosis: granum unum die.

Hydrargyrum stibiato - sulphuratum.

(*Aethiops antimonialis.*)

℞. Stibii sulphurati nigri laevigati Uncias duas,
Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati loti, singulorum Unciam unam.

Misceantur et invicem terantur donec hydrargyrum penitus disparuerit.

Ad luem veneream delendum non ita multum valet, egregium tamen remedium exhibet alterans atque resolvens, ad varia exanthemata ac glandularum morbos.

Dosis: grana quinque ad octo bis, terve die.

Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

(*Aethiops mineralis.*)

℞. Hydrargyri puri,
Sulphuris depurati loti Partes aequales.

Misceantur sedulo in mortario vitreo, donec Hydrargyrum sulphure mixtum plane dispareat.

Vires: fere eaedem ac antecedentis.

Dosis: grana quatuor ad sex.

Infusum

Infusum Chinae cum Magnesia usta.

℞. Pulveris subtilis Corticis Chinae fuscae Unciam unam,
Magnesiae ustae Drachmas duas.
Aquae destillatae Uncias duodecim.

Miscela subinde agitata stet in vase vitreo clauso, per viginti quatuor horas, et tunc filtretur.

Sunt qui corticem peruvianum nec in substantia, nec decoctum, nec calide infusum ferant, hoc tamen infuso tute utantur ad ipsas febres intermittentes fugandas.

Dosis: Cochlearia duo omni bihorio.

Infusum Ipecacuanhae.

℞. Radicis Ipecacuanhae grossiusculo modo pulveratae Drachmam unam cum dimidia,
Flavedinis Corticis Aurantiorum Drachmas duas,
Tartari depurati Drachmam dimidiam.

Infunde cum Aquae destillatae Unciis quinque ad colaturam Unciarum quatuor, admisce
Oxymellis Scillitici Unciam dimidiam.

Tutissimum emeticum brevioribus quadrante horae intervallis ad cochlear unum tam diu propinandum, usque dum Vomitus insequatur, aqua tepida vel infuso florum chamomillae tunc promovendus.

Infusum laxativum.

(*Aqua laxativa Viennensis.*)
(*Infusum Sennae compositum.*)

℞. Foliorum Sennae Uncias tres,

Passularum minorum Unciam unam cum dimidia,
Tartari depurati Unciam dimidiam,
Seminum Coriandri Drachmas duas,

affunde

Aquae destillatae tepidae Uncias triginta quatuor.

Macera per horam. In colatura expressa solve

Mannae Calabrinae Uncias octo.

Cola et serva.

Pernotae vires e nomine patent. Non temere Tartarus depuratus admissus est, in correctionem Mannae scilicet, absque acido vegetabili facile tormina cientis.

Dosis: Unciae duae vel tres.

Julapium moschatum.

℞. Moschi Grana duodecim,
Pulveris Sacchari Drachmam unam,
Aquae Rosarum Uncias sex.

Tere saccharum cum moscho, et gradatim adde aquam rosarum.

Non sine fructu additur mixturis pro infantulis, laborantibus raucedine et tussi aspera sicca, juncta vicissim rimae glottidis ac faucium constrictione spastica, quibus ignaros non raro laryngitidis, ab expertis sollicite dijudicandae, falsa suspicione terrent.

Kali aceticum.

(*Terra foliata Tartari alba.*)

℞. Kali carbonici crudi depurati Partem unam,
Aceti vini destillati quantum ad saturationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad partes circiter tres evaporatione redactus, cum carbonum perfecte ustorum pulvere coquatur, tum filtretur et ad neutralisationis statum, si opus est, addito aceto concentrato reductus, leni calore in vase vitreo aut porcellaneo, supra arenam calidam posito ad siccum evaporet. Sal concretum statim, ne humidum quid attrahat, in vitro obturato serva.

Vis: resolvens, diuretica, non nimis irritans ac debilitans.

Usus: in obstructione viscerum abdominalium, atrophia infantum, colluvie mucosa primarum viarum; hydrope.

***Dosis**: scrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

Nota. Cum recipias loco aceti vini destillati, acetum vini crudum, obtinetur:

Kali aceticum nigrum.

(*Terra foliata Tartari nigra.*)

Viribus non differt ab antecedenti.

Kali carbonicum crudum depuratum.

(*Kali carbonicum e Cineribus clavellatis.*)

℞. Kali carbonici crudi, terra silicea soluta non nimis inquinati, Partem unam.

Infunde

Aquae pluvialis frigidae Partes duas.

Liquor filtratus evaporatione in sal siccum redigatur. Hic in

Aquae destillatae frigidae quantitate aequali

solvatur, solutio filtretur et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vasis bene obturatis.

Vis: *antacida, diuretica, deoxydans.*
Usus: *in soda, dysuria calculosa, hydrope, tetano (alternatim cum opio.)*
Dosis: *grana decem ad quindecim pluries die.*

†Kali carbonicum e Tartaro.

(*Sal tartari.*)

Tartarus depuratus vase idoneo inclusus uratur, donec sine flamma et fumo candeat. Massa carbonacea restans Aqua destillata calida elixetur, liquor coloris expers filtretur, et ad siccum evaporet.

Eodem modo Kali carbonicum extrahitur e massa carbonacea, e destillatione Tartari residua.

Vis: *incidens, resolvens, antacida, diuretica.*
Usus: *in auxilium leniter purgantiam, rhei, foliorum sennae; in soda; pro evolutione gas carbonici acido nubitur in vomitu spontaneo inani; in dysuria calculosa, tetano; in veneficio e variis salibus metallicis.*

Dosis: grana decem ad quindecim ter pluriesve de die.

Kali carbonicum neutrale.†

(*Kali carbonicum acidulum.*)

Kali carbonici crudi depurati quantum placet, in apparatu idoneo Acido carbonico perfecte saturatur.

Sal siccum hoc modo paratum, in Aquae destillatae calidae minima quantitate solutum, in vase apto seponitur, ut exspiratione spontanea crystallos deponat, quae charta bibula siccantur.

Vis: incidens, solvens, lithontriptica.
Usus: ad calculos renum ac vesicae urinariae.
Dosis: pulveris grana decem ad quindecim pluries de die. Plerumque adhibetur sub forma aquae supercarbonatis potassae eodem modo parandae ac aqua supercarbonatis sodae.

Kali causticum fusum.†

(*Lapis causticus.*)

℞. Kali caustici sicci quantum placet.
Liqua leni calore in crucibulo argenteo et effunde in modulum ferreum calefactum. Refrigeratum in vitro bene clauso serva.

Vis: caustica.
Usus: chirurgicus pro cauterio, in specie ad morsum canis rabiosi.

Kali causticum siccum.

(*Alkali causticum.*)

Liquor Kali caustici evaporet in vase ferreo donec gutta in metallum frigidum demissa, perfecte concrescat; tum effunde, et frustula diffracta statim in vase rite obturato serva.

Non differt ab antecedenti, nisi forma.

Vis: caustica, incitans, incidens, diuretica.

Usus: vid. Tinctura Kalina. Externe in balneis et fomentis ad tetanum aliosque spasmos adhibetur; in gonorrhoea forma injectionis?

Dosis: pro balneo uncia dimidia ad integram; pro injectione ad gonorrhoeam drachma dimidia in aquae destillatae sex unciis soluta.

Kali hydrojodicum.

(*Hydrojodas kalicus.*)
(*Kali jodatum.*)

℞. Jodi Unciam unam.

Contere in mortario porcellaneo successive cum **Liquore Kali caustici** ad perfectam solutionem usque.

Solutio haec atrofusca ea **Aquae destillatae** quantitate diluatur, ut mixtura circiter aequet **uncias octo.** Tunc per eandem tam diu transmittatur **Gas hydrosulphuratum,** usque dum perfecte decolor redditum sit fluidum, quod a sulphure praecipitato deinde separatum et effervefactum, cum **Kali carbonico e Tartaro** neutralisetur.

Solutio filtrata in vase porcellaneo evaporet, et residuum sub perpetua agitatione perfecte exsiccetur.

Vis: *resolvens.*
Usus: *forma unguenti ad tumores glandularum, indurationes uteri, ovariorum, etc.*

Kali nitricum depuratum.

(*Nitrum depuratum.*)

Kali nitricum crudum in Aquae pluvialis fervidae duplo liquetur. Instilletur Liquor Kali carbonici, quamdiu solutum inde turbetur, per chartam colatum seponatur, ut crystalli concrescant. Liquor residuus, ad dimidium evaporatus denuo crystallos demittit. Haec operatio repetenda est, dum crystalli Kali nitrici purae inveniuntur.

Vis: *refrigerans, antiphlogistica, stomacho ac pulmonibus facile molesta, diuretica.*
Usus: *in morbis inflammatoriis, gastritide ac cystitide exceptis.*
Dosis: *grana quinque ad octo.*

Kali sulphuratum.

(*Hepar Sulphuris.*)

℞. **Sulphuris depurati Partem unam,**
Kali carbonici e Tartaro Partes duas.

Mixta in crucibulo satis amplo et tecto leni igne coëant in massam homogeneam, quam in laminam ferream aut in mortarium ferreum effunde, frigefactam grossiuscule tere, statim in vas bene claudendum ingere et serva.

Vis: *antacida, diaphoretica.*
Usus: *in Phthisi pulmonali, laryngitide? tussi convulsiva, arthritide, variis morbis cutaneis, veneficiis metallicis.*
Dosis: *pulveris grana duo ad decem.*

Kali sulphuratum pro Balneo.

(*Hepar Sulphuris pro Balneo.*)

℞. Sulphuris citrini pulverati Partem unam,
Kali carbonici crudi depurati Partes duas.

Tum eodem modo, quo Kali sulphuratum, paretur et servetur.

Dosis: *pro balneo uncia dimidia ad integram, affusis sensim acidi sulphurici diluti unciis duabus.*

Kali sulphuricum depuratum.

℞. Kali sulphurici crudi bene crystallisati quantum libet.

Solve coquendo in
Aquae destillatae Partibus sex.

Tum liquorem per chartam bibulam filtra, et filtratum iterata evaporatione et refrigeratione in crystallos coge, quas siccatas serva.

Kali tartaricum.

(*Tartarus tartarisatus.*)

℞. Kali carbonici crudi depurati quantum vis.
Solve in
Aquae pluvialis fervidae octuplo;
adde successive

Tartarum depuratum in pulverem tritum, quantum ad neutralisationem requiritur. Liquorem rite neutralisatum leni calore ad siccum inspissa. Massam in

Aquae destillatae frigidae Partibus decem solve, et per horas triginta sex sepone. Tum liquor filtretur et leni calore ad siccum evaporet. Serva in vasis bene clausis.

Vis: *refrigerans, resolvens, laxans, diuretica.*
Usus: *in colluvie primarum viarum, obstructione viscerum abdominalium, haemorrhoidibus, in mania et melancholia.*
Dosis: *scrupulus unus ad drachmam dimidiam.*

Kermes minerale.

(*Sulphur stibiatum rubeum.*)

℞. Stibii sulphurati nigri laevigati Partem unam,
Kali carbonici e Tartaro Partes quatuor.

Mixta coque in aheno ferreo cum

Aquae destillatae Partibus sexaginta

spathula semper agitando et restituendo aquam evaporatam, per horam dimidiam. Filtretur tunc liquor, quam fieri potest fervidissimus, in patellam figulinam calefactam, ut lente refrigescat. Elapsis horis viginti quatuor, decantetur fluidum a sedimento praecipitato sponte nato, et addita Aquae destillatae portione denuo coquatur cum residuo in filtro, quod decoctum tractetur ut prius. Decoctio haec iterata repetatur, quamdiu sponte praecipitatum largum insequitur.

Praecipitata his laboribus genita, Aqua destillata cocta, nunc vero tepida, sedulo ablue, inter chartam bibulam preme et loco umbroso, temperatura vigesimum gradum scalae Reaumurii non excedente, sicca et in vase bene clauso loco umbroso serva.

Vis: incidens, resolvens, bechica, diaphoretica, emetica.
Usus: in tussi obstructione viscerum abdominalium, exanthematibus chronicis.
Dosis: granum dimidium aut integrum.

Lac Ammoniaci.

℞. Ammoniaci pulverati Unciam dimidiam,
Gummi arabici pulverati Drachmas sex,
Aquae Pulegii Uncias octo,
in mortario lapideo tere, donec gummata soluta sint. Cola.

Vis: resolvens, bechica.
Usus: in Tussi absque febre.
Dosis: Cochlear unnm omni bihorio, aut duo omni trihorio.

Linctus leniens.

℞. Pulverum Radicis Liquiritiae,
Althaeae,
Iridis florentinae, singul. Drachmas sex,
Gummi arabici Unciam unam cum dimidia.
Misceantur. Ex hujus pulveris Scrupulis duo-

bus cum Syrupi amygdalarum Uncia una mixtus, fit linctus.

Vis: demulcens.
Usus: in tussi catarrhali acri.
Dosis: cochlear parvum omni bihorio.

Linimentum ammoniatum.

(*Linimentum volatile.*)

℞. Olei Papaveris venalis Uncias tres,
Liquoris Ammonii caustici Unciam unam.
Agitentur in vase vitreo, donec perfecte in unum coëant.

Vis: resolvens, discutiens, incitans.
Usus: externus ad rheumaticos dolores chronicos, ad tumores glandularum frigidos.

Linimentum ammoniato-camphoratum.

(*Linimentum volatile camphoratum.*)

℞. Olei Papaveris venalis Unciam unam,
Olei camphorati Uncias duas,
Liquoris Ammonii caustici Unciam unam.
Agitentur in vase vitreo, donec perfecte in unum coëant.

Linimentum diureticum.

℞. Olei Terebinthinae Unciam dimidiam,
Vitelli Ovi Nro. unum,
Aquae Menthae piperitae Uncias sex.
Misce.

Vis et Usus: regioni lumbari illitum renes ad secernendum lotium instigat.

Linimentum saponato-camphoratum.

(*Balsamum Opodeldoc.*)

℞. **Saponis domistici albissimi** e Sevo confecti,
Hispanici albi singulorum **Unciam unam cum dimidia,**
Camphorae Drachmas tres.
Solve in cucurbita vitrea leni calore in
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quatuordecim.
Solutionem adhuc calentem filtra. Tum adde
Liquoris Ammonii caustici Drachmas tres,
Olei Rorismarini Drachmam unam,
Thymi Drachmam semis.
Refrigeratam massam, gelatinae similem, serva.

Usus: ad perniones, tumores frigidos, rheumaticos dolores non adeo acutos.

Linimentum phosphoratum.

(*Oleum phosphoratum.*)

℞. **Phosphori Grana septem.**
Immitte in phialam
Olei Amygdalarum Unciam unam
continentem, quam in aquam calidam immerge, donec phosphorus liquatus sit. Tum vas agitetur donec phosphorus solutus appareat. Tunc adde
Camphorae Scrupulos duos
et solve.

Vis: *dissolvens tumores frigidos glandularum, aliosque.*

Liquor Ammonii acetici.

(*Spiritus Mindereri.*)

℞. Liquoris Ammonii caustici quantum vis.
Adde
Aceti concentrati quantum ad neutralisationem requiritur.
Filtra et in vasis bene clausis serva.

Vis: *incidens, diaphoretica, resolvens.*
Usus: *in affectionibus catarrhalibus atque rheumaticis, externe ad sugillationes.*
Dosis: *drachma sesquialtera.*

Liquor Ammonii anisatus.

(*Spiritus Salis ammoniaci anisatus.*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim,
Olei Anisi aetherei Unciam dimidiam.
Solutis adde
Liquoris Ammonii caustici Uncias tres.
Serva.

Vis: *incitans, incidens, bechica.*
Usus: *in atonia atque paralysi pulmonum quales sub finem bronchitidis, ac phthiseos pulmonalis occurrere solent cum magna oppressione ac anxietate aegrorum.*
Dosis: *guttae viginti vel triginta, aqua seu potu glutinoso dilutae.*

Liquor Ammonii carbonici aquosus.

(*Spiritus Salis ammoniaci aquosus.*)

℞. Ammonii carbonici puri Partem unam,
Aquae destillatae Partes quinque.

Solve, filtra et serva.

Vis et Usus: *vid. Ammonium carbonicum. Laudatur imprimis contra morsum viperae, et effectus deleterios acidi hydrocianici.*

Dosis: *guttulae decem ad triginta aqua rite dilutae.*

Liquor Ammonii caustici.

(*Spiritus Salis ammoniaci causticus.*)

℞. Calcariae ustae Libram unam cum dimidia.

Fatiscat cum

Aquae fontanae sufficiente quantitate

in pultem, quae refrigerata in cucurbitam ferream, vel retortam tubulatam ingesta, misceatur cum

Ammonii muriatici sublimati contriti Libra una.

Statim jam connectatur vas cum tribus lagenis apparatus Woulfiani, quarum prima contineat ad duorum pollicum altitudinem lactem calcariam, secunda vero libram unam, et tertia libram dimidiam Aquae destillatae, ita quidem ut ea non nisi duae tertiae partes earundem expleantur. Juncturis nunc bene clausis destillatio instituatur, primo leni, deinde intentiori igne, et

continuetur, quam diu transit Gas. Huius evolutione cessante, apparatus disjungatur, contentum lagenae secundae et tertiae ponderetur, eique tantum aquae destillatae affundatur, ut tres libras pondere aequet. Liquor ammonii caustici ita paratus in lagenis, epistomiis vitreis obturatis servetur. Pond. sp. 0,960.

Vis: antacida, eximie excitans, diaphoretica, rubefaciens.

Usus: in soda, arthritide, cardialgia, paralysi, asphyxia; externe membris paralyticis infricatur, naribus asphyxia aut lipothymia detentorum admovetur.

Dosis: guttulae octo ad viginti multa aqua aut potu glutinoso dilutae.

Liquor Ammonii oleoso-aromaticus.

(*Liquor Oleosus Sylvii.*)
(*Sal volatile oleosum Sylvii.*)
(*Spiritus ammoniae aromaticus.*)

℞. Olei aetherei Anisi,
Caryophyllorum,
Cinnamomi singulorum Drachmam dimidiam,
Macidis, Scrupulum unum,
Succini rectificati Scrupulum dimidium,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias novem.
Misce et serva.

Vis: incitans, exaestuans, carminativa.

Usus: in anorexia, flatulentia ventriculi.

Dosis: guttae triginta.

Liquor Ammonii pyro-oleosi.

(*Spiritus Cornu Cervi.*)

℞. Ammonii carbonici pyro-oleosi Unciam unam,
Aquae destillatae Uncias octo.
Solve, filtra et serva.

Vis: *excitans, antihysterica, nervina.*
Usus: *in affectionibus hystericis ac spasmodicis, febribus nervosis.*
Dosis: *guttae viginti aqua dilutae.*

Liquor Ammonii succinici.

(*Liquor Cornu Cervi succinatus.*)
(*Spiritus Cornu Cervi succinatus.*)

℞. Acidi succinici Unciam unam,
solve in
Aquae destillatae fervidae Unciis octo.
Solutioni immitte
Ammonii carbonici pyro-oleosi quantum requiritur ad perfectum saturationis gradum.
Filtra et serva. P. sp. = 1,050.

Vis: *nervina, antispasmodica, antihysterica, diaphoretica.*
Usus: *in affectionibus spasmodicis ac hystericis, imprimis tempore menstruorum; in rheumatismo et arthritide.*
Dosis: *guttae viginti vel plura.*

Liquor Ammonii succinici aethereus.

(*Liquor antarthriticus Elleri*).

℞. Liquoris Ammonii succinici,
Spiritus sulphurico - aetherei Partes aequales.

Misce et serva.

Vis: nervina, antispasmodica, diaphoretica.
Usus: in rheumatismo et arthritide, variisque affectionibus spasticis.
Dosis: guttae viginti quinque ad triginta.

Liquor Ammonii sulphurati.

(*Spiritus sulphuratus Beguini.*)

℞. Sulphuris depurati loti Unciam unam
immitte lagenae formae rotundae, obturari quae potest, et qua continentur
Liquoris Ammonii caustici Unciae sex.

Per orificium obiter obturatum transmitte usque ad fundum lagenae, canalem transfusorium, atque per eundem descendere fac Gas hydrosulphuratum, e ferro sulphurato et acido sulphurico diluto extricatum, usque dum omne sulphur solutum sit.

Vis: Salia metallica deoxydans, diaphoretica, alterans.
Usus: in rheumatismo, arthritide, diabete mellito, asthmate.
Dosis: guttulae sex sensimque plures in aquae destillatae uncia dimidia pluries die. Praegrandis dosis nauseam, vomi-

tum, lassitudinem, somnolentiam ac pulsus tarditatem induxisse dicitur.

Liquor Ammonii vinosus.

(*Spiritus salis ammoniaci vinosus.*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Partes duas,
Liquoris Ammonii caustici Partem unam.

Misce et in vitro probe clauso serva.

Vis: incitans, incidens, diuretica.

Usus: in morbis atonicis, paralysi; externe discutit et excitat cum infricatur.

Dosis: guttae viginti ad triginta.

Liquor Chlori.

(*Acidum muriaticum oxygenatum.*)

℞. Natri muriatici,
Mangani oxydati nativi pulverati, singulorum Uncias sedecim.

Misceantur intime et infundantur in retorta vitrea tubulata, connexa cum quatuor lagenis apparatus Woulfiani,

Acidi sulphurici crudi Unciis viginti quatuor,

diluti cum

Aquae fontanae Unciis duodecim.

Lagenarum, ad arcendam lucem nigris pannis obvolutarum, prima ad duorum pollicum circiter altitudinem Aqua fontana, secunda Aquae destillatae unciis triginta duabus, tertia unciis sedecim eiusdem ita impleantur, ut una tertia pars spatii interni supersit; lagenae quartae vero ingeratur solutio, constans e

Kali carbonici crudi Parte una et
Aquae destillatae Partibus sex.

Juncturis omnibus bene lutatis, in balneo arenae retorta primo leni, pedetentim deinde intentiori igne calefiat, quamdiu Gas (coloris flavi) transit.

Lagena secunda ac tertia jam continent Liquorem Chlori desideratum, qui invicem mixtus, in lagenis bene obturatis et obfuscatis, loco frigido obscuro servetur.

Quod continetur in lagena prima et postrema aut rejiciendum, aut alii fini technico est asservandum.

Vis: *analeptica, antiseptica, pigmenta exstinguens.*
Usus: *praestans in febribus adynamicis, in scarlatina, in scorbuto; interne et externe pro lotu. Vapores Chlori validissimi putantur ad destruenda miasmata morborum.*
Dosis: *plures unciae pro die.*

Liquor Ferri muriatici oxydati.

(Oleum martis.)

℞. Ferri muriatici oxydati,
Aquae destillatae Partes aequales.
Solve, et filtra.

Vis: *tonica, styptica.*
Usus: *Validum remedium exhibet in haemorrhagiis passivis, imprimis uterinis.*
Dosis: *guttulae quatuor omni trihorio, multa aqua destillata dilutae.*

Liquor Hydrargyri muriatici corrosivi.

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi,
Ammonii muriatici depurati singulorum
Grana viginti quatuor.
Solve in
Aquae destillatae Libris duabus.
Filtra et serva.

Vis: escharotica, stimulans.
Usus: in ulceribus venereis et scabie.

Liquor Hydrargyri nitrici oxydati.

(*Mercurius nitrosus calore paratus.*)

℞. Hydrargyri oxydati rubri Unciam unam.
Solve in
Acidi nitrici puri quantitate sufficiente,
et adde
Aquae destillatae tantum
ut pondus totius sit Unciarum octo. Liquorem decantatum in vase bene obturato loco obscuro caute serva.

Vis: antisyphilitica, depurans.
Usus: solummodo externus. (*Liquor Bellostii, Aqua grisea.*)

Liquor Hydrargyri oxydulati.

(*Mercurius nitrosus frigore paratus.*)

℞. Hydrargyri depurati Uncias quatuor.
Affunde in vase idoneo
Acidi nitrici puri Uncias duas,

Aquae destillatae Drachmis tribus
dilutas. Vas loco frigido, et si necesse est, in aliud aqua frigida repletum positum, seponatur, quamdiu crystalli enascuntur, quas a liquore et hydrargyro remanente separa, et inter chartam bibulam albam premendo absque calore sicca. Harum crystallorum Unciae uni inter terendum adde

Acidi nitrici puri Drachmam unam
et tum

Aquae destillatae Uncias septem aut
quantum sufficit ut p. spec. solutionis sit = 1,100, quam filtratam in vase bene clauso loco obscuro caute serva.

Solutio haec Hydrargyri ejus conditionis esse debet, ut solutione Natri muriatici puri plenarie praecipitetur, ita ut liquidum residuum neque Kalinis, neque Aqua hydrosulphurata turbetur.

Vis: antisyphilitica, antiscabiosa.
Dosis: guttulae duae, sensim tres-quatuorve, aquae destillatae sufficiente quantitate dilutae, bis die. Externe ad ulcera phagedaenica et ad scabiem adhibetur.

Liquor Kali acetici.

(*Liquor Terrae foliatae Tartari.*)

℞. Kali acetici sicci Libram unam,
Aquae destillatae Libras duas.
Solve et filtra.

Vis ac usus: vid. Kali aceticum.
Dosis: drachma una vel sesquialtera.

Liquor Kali acetici nigri.

(*Liquor digestivus Boerhavii.*)
(*Liquor Terrae foliatae Tartari nigrae.*)

℞. Kali carbonici crudi depurati Libram unam,
Aceti Vini crudi quantum ad saturationem requiritur.

Liquor in lebete stanneo ad Libras tres evaporatione reductus, filtretur, et usui servetur.

Vis Usus ac Dosis: antecedentis.

Liquor Kali carbonici.

(*Liquor Salis Tartari.*)
(*Oleum Tartari per deliquium.*)

℞. Kali carbonici e Tartaro Libram unam, solve in
Aquae destillatae Libris duabus.

Filtra et serva.

Vis et Usus: vid. Kali carbonicum.
Dosis: guttulae quindecim ad triginta omni trihorio, urgente vero necessitate ut in veneficiis metallicis, et in tetano doses citius sese excipiant, aqua destillata dilutae.

Liquor Kali caustici.

(*Lixivium causticum.*)

℞. Kali carbonici crudi depurati Libras duas.
In vas ferreum immissis affunde
Aquae pluvialis fervidae Decuplum.

Tunc successive ingere
Calcariae ustae (cum aquae libris sex extinctae,) Libras tres.

Coque per horae quadrantem, agitando spathula. Si liquor filtratus cum acido quocunque mixtus, ullam producit effervescentiam, Calcaria usta est addenda. Cola per linteum. Liquor in lagenas vitreas obturandas immissus, postquam subsederit, decantetur et evaporet, donec ejus Unciae quatuor impleant vas, quod capax foret Unciarum trium Aquae destillatae. In lagenis vitreis obturatis serva.

Vis: *concentrata erodens, diluta forma excitans, antacida, diuretica, lithontriptica.*
Usus: *contra calculos urinarios ex ammonio urico, seu albumine cum acido urico compositos.*
Dosis: *guttulae decem vel quindecim cum jusculo e carne vitulina, aut decocto avenae excorticatae, ter quaterve die.*

Eodem modo paretur:

Liquor Natri caustici

nisi quod Natri carbonici depurati partes quinque ad Calcariae ustae partes tres sumendae sunt.

Liquor Myrrhae.

(*Liquamen Myrrhae. Oleum Myrrhae.*)

℞. Extracti Myrrhae Uncias duas,
Aquae destillatae Uncias quatuor.
Solve et cola.

Vis: balsamica, depurans.
Usus: externus ad ulcera, et excoriationes.

Liquor Natri chlorati.
(*Liqueur de Labarraque.*)

℞. Natri carbonici depurati Libram unam.
Solve in
Aquae destillatae Libris quatuor.
Impraegnetur solutio haec in lagena altera apparatus Woulfiani cum Gas Chlori, (modo ad exemplum Liquoris Chlori supra dicto) parato, e mixtis
Mangani oxydati nativi pulverati,
Natri muriatici singulorum Unciis duabus, affusis
Acidi sulphurici Unciis tribus, dilutis
Aquae fontanae Uncia una cum dimidia.
Liquor ita obtentus, loco obscuro, in lagenis vitreis sollicite obturatis servetur.
Usus: ad destruenda miasmata contagiosa, nec non ad delendum foetorem e putredine animali.

Liquor nervinus Peerbomii.

℞. Kali carbonici crudi depurati Drachmas sex,
Saponis Hispanici rasi Unciam unam,
dissolve in
Aquae destillatae tepidae Unciis decem,
admisce deinde

Olei Terebinthinae Unciam unam cum dimidia,
Cajeputi Drachmas duas,
Spiritus Juniperi Unciam unam.
Serva.

Vis: excitans.
Usus: externus ad paralysin.

Liquor pyro-tartaricus.

(*Spiritus Tartari.*)

℞. Tartari crudi quantum velis.
Fiat destillatio e retorta ad dimidiam partem repleta, aperto et sensim aucto igne, in excipulum satis capax, et tubulo, per quem transeat gas impetuose prorumpens, instructum. Destillatione finita liquorem elicitum ab oleo foetido filtratione repetita libera, et serva.

Vis: diaphoretica, incidens, resolvens, diuretica.
Usus: in hydrope, menstruis suppressis, affectionibus catarrhalibus, rheumaticis et paralyticis.
Dosis: scrupulus unus et alter.

Liquor Saponis stibiati.

(*Sulphur auratum liquidum.*)
(*Tinctura Antimonii Hermbstaedtii.*)

℞. Saponis stibiati Uncias octo,
Tincturae Kalinae,
Aquae Cinnamomi, singularum Uncias duodecim.

Digerantur leni calore subinde agitando. Liquorem filtratum serva.

Vis: resolvens, deobstruens, diuretica, diaphoretica.

Usus: in asthmate, obstructione viscerum abdominalium, rheumatismo chronico, arthritide.

Dosis: guttulae triginta ad septuaginta in potu glutinoso, pluries die.

Liquor Stibii muriatici.

(*Butyrum Antimonii.*)

℞. Croci metallorum Uncias duas,
Natri muriatici siccati Uncias sex.
Mixtis in retorta vitrea affunde,
Acidi sulphurici crudi Uncias quatuor,
Aquae pluvialis Unciis duabus
antea dilutas. Fiat destillatio ex arenae balneo, igne sub finem aucto. Liquorem obtentum serva.

Vis: caustica, escharotica.

Usus: externus in exstirpandis excrescentiis, in staphylomate, morsu canis rabiosi.

Looch pulmonale.

℞. Pulverum Succi Liquiritiae,
Seminum Anisi,
Seminum Foeniculi, singulorum Unciam unam,
Syrupi Althaeae Uncias duodecim.
Misce.

Vis: demulcens, expectorans.

Usus: in tussi catarrhali.
Dosis: cochlear parvum omni bihorio.

Magnesia sulphurica depurata.

(*Sal anglicum depuratum.*)
(*Sal Seidschützense.*)

Magnesia sulphurica cruda solvatur in Aquae destillatae fervidae pari pondere. Solutio filtretur et lege artis in crystallos redigatur, quas siccatas serva.

Vis: refrigerans, laxans, diuretica.
Usus: in febribus ac morbis, quibus laxantibus non calidis, opus est.
Dosis: drachma una omni bihorio, vel trihorio.

Magnesia usta.

(*Magnesia calcinata.*)

Magnesia carbonica in crucibulo tecto, igne fortiori uratur per horam et ultra, usque dum in acidis absque effervescentia solvatur. Refrigerata in vitro obturato servetur.

Vis: absorbens, antacida, purgans.
Usus: in soda, flatulentia, ad purgandam alvum, ad calculos urinarios uricos.
Dosis: scrupulus dimidius ad drachmam dimidiam pluries de die.

Massa Pilularum anodynarum.

℞. Pulveris Opii Grana decem,
Succi Liquiritiae Scrupulos duos.

Misceantur et fiant cum sufficiente quantitate aquae massa, ex qua formentur pilulae Numero viginti.

Vis ac Usus: Opii.

Dosis: pilula una vel duae, vel semel die tres ad somnum conciliandum.

Massa Pilularum aperientium Stahlii.

℞. Pulveris Aloes lucidae Unciam unam,
Extracti Colocynthidis compositi Unciam dimidiam,
Ferri pulverati Drachmas duas,
fiat cum mucilagine Gummi arabici massa pilularis.

Vis: tonico-laxans.

Usus: in obstructione alvi habituali calefacientia non perhorrescente.

Dosis: grana duo et pro necessitate plura.

Massa Pilularum de Cynoglosso.

℞. Pulveris Radicis Cynoglossi, Unciam unam cum dimidia,
Seminum Hyoscyami,
Opii, singulorum Unciam unam,
Myrrhae,
Olibani, singulorum Unciam unam cum dimidia,
Caryophyllorum,
Cinnamomi, singulorum Unciam dimidiam.

Misce.

Vis: anodyna, somnifera.
Usus: in tussi per noctem sopienda.
Dosis: grana quinque vel sex.

Nota. *Drachma una massae continet Opii et Seminum Hyosciami grana octo.*

Massa Pilularum majorum Hoffmanni.

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi Grana quindecim,
in
Aquae destillatae Uncia dimidia,
ope caloris exacte solutis adde
Micae panis albissimi Drachmas duas cum dimidia.
Misceantur bene subigendo et fiant lege artis pilulae aequales numero Centum et viginti.

Vis et usus: vid. Hydrargyrum muriaticum corrosivum.
Dosis: Pilulae duae semel vel bis die.

Nota. *Octo continent Hydrargyri muriatici corrosivi granum unum.*

Massa Pilularum e Resina Jalappae.

(*Pilulae mercuriales.*)
(*Pilulae purgantes.*)

℞. Saponis Jalappini Partes tres,
Hydrargyri muriatici mitis Partem unam.
Misce, fiat massa pilularis.

Vis: purgans.
Usus: ubi calidioribus ac fortioribus purgantibus opus est; in saburra pituitosa, verminosa, hydrope cerebri.
Dosis: grana decem vel duodecim, bis terve die.

Massa Pilularum Scilliticarum.

℞. Pulveris Scillae Drachmam unam,
Zingiberis,
Saponis medicati, singul. Drachmas tres,
Ammoniaci Drachmas duas.

Misce, fiat cum mucilagine Gummi arabici massa pilularis.

Vis: resolvens, diuretica.
Usus: in affectionibus pituitosis pulmonum, in hydrope.
Dosis: grana octo vel sedecim ter die.

Mel despumatum.

℞. Mellis communis Libras sedecim,
Aquae pluvialis Libras octo.

Coquantur in vase stanneo, et spuma in superficie orta auferatur cochleari, foraminibus parvis instructo. Coletur per manicam, e panno confectam, et inspissetur ad syrupi spissitudinem.

Vis et Usus: vid. Mel.

Mel rosatum.

℞. Florum Rosarum incarnatarum siccatorum Uncias octo,

affunde

Aquae pluvialis fervidae Libras quatuor.

Macera per noctem, cola et cum

Mellis despumati Libris octo,

leni igne ad syrupi spissitudinem coque.

Vis: abstergens.
Usus: externus ad aphthas oris, aliaque ulcuscula depuranda.

Mixtura oleoso-balsamica.

(*Balsamum Vitae Hoffmanni.*)

℞. Olei Lavandulae,
Majoranae,
Caryophyllorum,
Macidis,
Cinnamomi,
de Cedro, singul. Scrupulum unum,
Rutae,
Succini rectificati, singulorum Guttas decem,
Balsami Peruviani Drachmam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias decem.

Mixta committantur digestioni frigidae et filtrentur per gossypium.

Vis: nervina, excitans.
Usus: in languore virium vitalium.
Dosis: guttulae decem ad viginti omni trihorio; etiam externe adhibita refocillat.

Mixtura pyro-tartarica.

(*Mixtura simplex.*)

℞. Spiritus Angelicae compositi Uncias duodecim,
Liquoris pyro-tartarici Uncias octo.
Mixtis sensim instilla
Acidi sulphurici depurati Unciam unam.
Serva.

Vis: excitans, diaphoretica.
Usus: in febribus catarrhalibus, ad promovendam diaphoresin.
Dosis: guttae triginta ad sexaginta pluries de die.

Mixtura pyro-tartarica camphorata.

(*Mixtura simplex camphorata.*)

℞. Spiritus Angelicae compositi camphorati Uncias duodecim,
Liquoris pyro-tartarici Uncias octo.
Mixtis sensim instilla
Acidi sulphurici depurati Unciam unam.
Serva.

Vis et Usus: antecedentis.
Dosis: guttulae triginta omni trihorio.

Mixtura sulphurico-acida.

(*Elixir acidum Halleri.*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias sex,
successive instillentur

Acidi

Acidi sulphurici depurati Uncias sex.
Serva in vase epistomio vitreo bene munito.

Vis: nervina, confortans, adstringens.
Usus: in nimia sensibilitate nervorum, atonia vasorum, exaestuatione sanguinis, haemoptysi, ac aliis haemorrhagiis, scorbuto.
Dosis: guttulae sedecim cum aquae unciis quatuor, ter, quaterve die.

Mixtura vulneraria acida.

(*Aqua vulneraria Thedenii.*)

℞. Aceti vini crudi Libras tres,
Spiritus Vini rectificati Libram unam et dimidiam,
Acidi sulphurici diluti Libram dimidiam,
Mellis despumati Libram unam.
Misce.

Vis: resolvens, discutiens, adstringens.
Usus: in luxationibus, contusionibus, combustionibus, vulneribus recentibus, et haemorrhagiis inde ortis.

Morphium.

℞. Opii pulverati Uncias quatuor.
Digere leni calore cum
Aquae destillatae Unciis triginta duabus,
Acidi muriatici puri Uncia una
mixtis, per horas sex, saepius agitando et decanta. Residuum ter simili modo digeratur. Liquoribus obtentis adde

Natri muriatici Uncias sedecim.

Agitentur ad salis solutionem usque et seponantur, donec materiae inde praecipitatae perfecte separatae fuerint. Tum filtratis admisce

Liquorem Ammonii caustici,

quamdiu praecipitatum inde efficitur, et sepone misturam per biduum. Praecipitatum, ope filtri separatum, Aqua destillata frigida ablutum et siccatum digere cum

Spiritus Vini rectificatissimi Partibus decem,

quoties hic illius aliquid solvit. Tum tincturae ferventes filtratae sepositione et destillatione in crystallos redigantur. Has Spiritu Vini rectificatissimo frigido ablutas leni calore in

Acidi muriatici puri, Aquae destillatae Partibus quatuor diluti, quantitate sufficiente

solve. Post refrigerationem liquor in massam crystallinam transeat. Hanc linteo inclusam exprime ut ab heterogeneis depuretur. Residuum solvatur in

Aquae destillatae fervidae quantitate sufficiente,

et liquorem refrigeratum cum

Liquore Ammonii caustici

ad perfectam morphii praecipitationem usque misce. Praecipitatum in

Spiritus Vini rectificatissimi quantitate sufficiente

solutum, lege artis in crystallos redige, quas caute serva.

Usus: pharmaceuticus.

Morphium aceticum.

℞. Morphii quantum vis.
Solve in
Aceti concentrati, Aquae destillatae aequo pondere diluti, quantitate sufficiente,

ut liquor perfecte neuter appareat. Hic filtratus lenissimo calore ad siccum evaporet. Residuum in pulverem redactum caute serva.

Vis: anodyna, sopiens, narcotica, alvum obstruens.

Usus: idem ac Opii, cuti, epidermide demta adspersum, mirifice saepius fugat dolores spasticos, rheumaticos etc.

Dosis: granum dimidium ad integrum.

Nota. *Cum loco aceti concentrati, ad saturationem adhibetur* acidum muriaticum purum, *nascitur*

Morphium muriaticum.

Mucilago Gummi arabici.

℞. Pulveris Gummi arabici Unciam unam,
Aquae destillatae Uncias duas.

Solve terendo gummi cum aqua per vices affusa ut fiat mucilago. Cola.

Vis: demulcens, involvens, vid. Gummi arabicum. Ut subigantur drachmae duae olei unguinosi cum aquae uncia una, requiritur drachma una hujus mucilaginis.

Mucilago Seminum Cydoniorum.

℞. Seminum Cydoniorum Drachmam dimidiam,
Aquae Rosarum Uncias quatuor.

Immitte in vitrum et conquassa ad horae quadrantem. Cola.

Vis: involvens, leniter adstringens.
Usus: in ophthalmiis, minime vero convenit oxyda, vel salia metallica cum ea commiscere, quippe quae ea decomponerentur.

Natrum aceticum.

(*Terra foliata Tartari crystallisata.*)

℞. Natri carbonici depurati quantum vis,
Aceti vini destillati quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor filtratus et in vase stanneo ad crystallisationis momentum evaporatus, loco seponatur temperato. Crystallos natas collige, sicca et serva.

Vis ac usus: non differunt ab iis kali acetico competentibus.

Natrum carbonicum depuratum.

(*Alkali minerale depuratum.*)
(*Sal Sodae depuratus.*)

Natrum carbonicum crudum solvatur Aquae destillatae quantitate sufficiente, solutio filtretur, et lege artis in crystallos redigatur, quae tamdiu colligantur, quamdiu purae prodeant.

Vis: incidens, solvens, antacida, lithontriptica?
Usus: in soda, ad calculos urinarios, in veneficio metallico.
Dosis: grana decem ad viginti pulveris, pluries die.

Natrum carbonicum depuratum siccum.

Crystallos Natri carbonici depurati grossiuscule tritas, aprico aut moderato hypocausti calori expone, donec in pulverem perfecte siccum fatiscant, quem in vasis obturatis loco sicco serva.

Dosis: grana decem ad quindecim.

Eodem modo paratur:

Natrum sulphuricum depuratum siccum.

Dosis: uncia dimidia, drachmae sex pro die.

Natrum carbonicum neutrale.

(*Natrum carbonicum acidulum.*)
(*Bicarbonas natricus cum Aqua.*)

Natri carbonici depurati, Pars una,
cum
ejusdem Salis sicci, Partibus tribus,
terendo intime commiscetur et, in vase idoneo,
Alcido carbonico
perfecte saturatur.

Sal siccum, Aquae destillatae frigidae pari pondere superfunditur; post horas duodecim, aqua defusa, sal remanens siccatur.

Aqua haec paullum carbonatis natrici continet, quod, illa exspirata, iterum obtineri potest.

Vis: incidens, solvens, lithontriptica?

Usus: ad calculos urinarios.

Dosis: pulveris grana decem ad viginti pluries die. Plerumque adhibetur sub forma aquae mephiticae alcalinae, seu supercarbonatis sodae Anglorum, cujus loco solvi possunt ex tempore natri carbonici neutralis drachma una aut altera in aquae Selteranae, Wildungensis vel alius pure acidulae unciis duodecim.

Natrum phosphoricum.

(*Soda phosphorata*).

Acido phosphorico ex Ossibus, Aquae destillatae calidae octuplo diluto, addatur sensim,

Natrum carbonicum depuratum, in Aqua destillata solutum, donec hoc aliquatenus praevaleat. Liquor filtratus ad crystallisandum evaporet. Crystalli collectae in vase clauso serventur.

Vis: blande laxans, refrigerans.

Usus: in sanguinis aestu, febribus, quibus laxantibus non calidis opus est.

Dosis: drachmae sex vel uncia una crystallisati, pulveris ad aërem nati uncia dimidia pro die.

Natrum sulphuricum depuratum.

Natrum sulphuricum crudum in Aquae pluvialis quantitate sufficiente solvatur. Solutio filtretur et lege artis in crystallos redigatur.

Vis: *refrigerans, laxans, diuretica.*
Usus: *in synocha, atque saburra primarum viarum pituitosa.*
Dosis: *uncia una pro die.*

Oleum Absinthii aethereum.

℞. Summitatum Absinthii vulgaris, cum semine fere maturo, modice siccatarum Libras duodecim,
Aquae fontanae octuplum.

Fiat destillatio e vesica, sub continua aquae ebullitione, quamdiu aqua oleo gravida prodit. Obtentum oleum separetur. Aqua stillatitia supra novam Absinthii copiam, addita Aquae fontanae quantitate sufficiente, destillet, et oleum auferatur. Haec operatio toties repetatur, donec olei desiderata quantitas obtenta fuerit.

Eodem modo parantur:

Oleum aethereum Anethi seminis,
Calami radicis,
— — Chamomillae florum,
Cumini seminis,
— — Foeniculi seminis,
Juniperi baccarum,
Majoranae herbae,

Oleum aethereum Menthae crispae herbae,
Rutae herbae et florum,
Sabinae herbae,
— — Valerianae radicis.

Oleum Absinthii terebinthinatum.

℞. Herbae Absinthii cum semine fere maturo, modice siccatae, Libras duodecim.
In vesicam destillatoriam immissis adde
Olei Terebinthinae Uncias sex,
Aquae fontanae quantum satis.
Fiat destillatio, qua peracta ab aqua stillatitia oleum separetur.

Vis: diuretica, anthelmintica, antiepileptica.

Usus: in dysuria spastica, contra Vermes, in morbo caduco.

Dosis: guttulae decem.

Olea aetherea sine exceptione in eo conveniunt, quod vires vitales excitent, sanguinisque circulum accelerent, inde usus eorum non bene conducit in morbis cum orgasmo, sed in ejusmodi potius affectionibus, quae notabili virium vitalium debilitate vel torpore insigniuntur.

Vires: peculiares seu specificae eorum petendae sunt a substantiis vegetabilibus e quibus parantur. Sic alia putantur stomachica, alia antispastica, alia diuretica, anthelmintica, carminativa etc.

Dosis: variat pro indole acrimoniae, vel stimuli illis inhaerentium de guttula unica ad decem vel plures.

Oleum Amygdalarum.

Ex Amygdalis dulcibus recentibus contusis et sacco cilicino, aut cannabino inclusis, preli laminis in aqua fervente tepefactis, exprimatur oleum, quod, postquam faeces subsederunt, in vase clauso servandum est.

Eadem methodo parentur:

Oleum Seminis Lini,
Papaveris.

Vis: oleorum expressorum quae hic nominantur, non rancidorum, est demulcens, involvens, emolliens, laxans.
Usus: in colica spastica, nec non verminosa, uti laxantis in puerperio, obstructione alvi. (Subinde in connubio cum salibus purgantibus.)
Dosis: cochlear unum pluries die.

Oleum animale aethereum.

(Oleum animale Dippelii.)

℞. Olei animalis foetidi quantum placet.

Infundatur cucurbitae vitreae, ope infundibuli vitrei, ne cucurbitae latera inquinentur. Tum alembico et vase recipiente bene lutatis, fiat tamdiu destillatio, lenissimo balnei arenae calore, quamdiu oleum tenue elicitur. Oleum hoc rectifica-

tum cautione eadem cucurbitae novae cum aquae quadruplo infundatur, et alembico applicato ac vase recipiente purissimo, blando calore iterum destillet, dum limpidissimum, aquae purae instar appareat. Immittatur illico lagenulis vitreis, exacte obturatis et sub aqua demersis.

Olea empyreumatica, sicca destillatione parata, fortissima sunt excitantia et exaestuantia, perseverantiori stimulo caetera olea aetherea multo superantia. Ad haec tamen proxime accedit oleum animale aethereum fugaciori incitatione corpus perfundens, et ad instar narcoticorum breviori tempore relaxationem, qua spasmi solvuntur, ac somnus quietus conciliatur, inducens.

Usus: ejus inde eximius in hysteria, convulsionibus, in ipsa epilepsia, in febribus intermittentibus periculosa horripilatione ingredientibus.

Dosis: guttulae quinque ad decem, saccharo aut Spiritu sulphurico aethereo exceptae.

Oleum Cacao.

(Butyrum Cacao.)

Semina Cacao leniter tosta, a corticibus liberata, contusa, et sacco cannabino inclusa, aquae bullientis vapore impraegna, et ope torcularis, cujus laminae in aqua fervida calefacta fuerint, exprime. Oleum butyraceum in loco calido liquatum, per linteum tenue cola et frigefactum serva.

Vis: involvens, demulcens.

Usus: *in cardialgia ex erethismo, aut erosione ventriculi, vitello ovi fervido mixtum datur aut jusculo carnis; externe ad excoriationes et ulcera valde dolentia, cum oxydo zinci adhibetur.*
Dosis: *cochlear parvulum pluries die.*

Oleum Cajeputi rectificatum.

℞. Olei Cajeputi quantum vis,
Aquae fontanae quantum sufficit.
Fiat destillatio e retorta vitrea tubulata, quamdiu coloris expers oleum prodit.
Vis, usus, dosis vid. P. 1.

Eodem modo parentur:

Oleum Succini rectificatum.

Oleum Succini ut antispasticum in hysteria laudatur.

Dosis: *guttulae quinque ad decem, saccharo aut Spiritu sulphurico aethereo mixtae.*

Oleum Terebinthinae rectificatum.

Vis: *balsamica, diuretica, anthelmintica.*
Usus: *in gonorrhoea? in dysuria atonica, in rheumatismo chronico ac insequenti lumbagine, ad calculos vesicae felleae (cum aethere sulphurico remixtum) in epilepsia, ad taeniam expellendam; in*

hydrope; externe ad vulnerationes membranarum, nervorum ac tendinum magno successu (calidum) adhibetur; nec non ad tumores frigidos, perniones, ganglia, et ad paralysin membrorum.

Dosis: guttulae decem pluries die, ad taeniam uncia dimidia ad uncias duas semel die.

Oleum camphoratum.

℞. Olei Papaveris venalis Uncias quatuor,
Camphorae Unciam unam.

Solve.

Vis: resolvens, discutiens.

Usus: ad dissipandos stagnantes humores, et incitanda solida inertia infricatur.

Oleum Chamomillae coctum.

℞. Florum Chamomillae Libram dimidiam,
Olei Olivarum Libras quatuor.

Coque leni igne ad humiditatis consumptionem, deinde exprimendo cola.

Similiter paratur

Oleum coctum Herbae Hyoscyami.

Olea cocta usui externo inserviunt, nec alia fere praeter olei, virtute gaudent.

Oleum Lini sulphuratum.

(Balsamum sulphuris.)

℞. Olei Lini Uncias sedecim.

In vase terreo vitreato aut ferreo capaci et satis alto calefacto sensim adde

Sulphuris citrini pulverati Uncias tres.

Coque spathula semper movendo et effervescentiam evitando, donec massa spissescat et refrigerata gelatinae instar colore fusco-rubro appareat. Serva.

Vis: digerens, discutiens.
Usus: internus obsoletus, externe ad ulcera pravae indolis, tumores induratos, gummata ac tophos, perniones petroleo, asa foetida aut succo allii remixtum laudatur.

Oleum ovorum.

℞. Ovorum recentium coctione in aqua duratorum quantum vis.

Vitelli exemti in sartagine munda leni calore agitentur, ope pistilli lignei, donec rufescant, et inter digitos pressi, oleum emittere incipiant; tum sacculo inclusosos, prelo subjice. Oleum expressum in vitro obturato serva.

Vis: leniens, emolliens.
Usus: in ambustis, haemorrhoidibus dolentibus, labiis ac papillis mammarum excoriatis.

Oleum Terebinthinae sulphuratum.

(*Balsamum Sulphuris terebinthinatum.*)

℞. Olei Lini sulphurati Partem unam,
Terebinthinae Partes tres.

Solve digerendo.

Usus: ad ulcera saniosa gangraenosa.

Oxymel Aeruginis.

(*Unguentum Aegyptiacum.*)

℞. Aeruginis pulveratae Uncias tres,
Aceti vini crudi Libras duas.

Coque donec aceti tertia circiter pars supersit; filtra et adde

Mellis despumati Libras duas.

Evaporent ad Libras duas.

Usus: ad ulcera atonica et sordida.

Oxymel Colchici.

℞. Aceti Colchici Libram unam.
Mellis despumati Libras duas.

In lebete stanneo coquantur ad mellis liquidi spissitudinem.

Vis: diuretica.
Usus: in hydrope.
Dosis: drachmae duae ad unciam dimidiam omni trihorio.

Oxymel Scilliticum.

℞. Aceti Scillitici Libram unam,
Mellis despumati Libras duas.

In vase stanneo coquantur ad mellis liquidi consistentiam.

Vis: diuretica, solvens, bechica.

Usus: in hydrope, in tussi catarrhali.
Dosis: drachma una omni trihorio.

Oxymel simplex.

℞. Aceti vini crudi Libram unam,
Mellis despumati Libras duas,
Misce et in lebete stanneo coque ad mellis liquidi spissitudinem.

Vis: resolvens, bechica.
Usus: in tussi catarrhali, in febribus inflammatoriis, potui admixtum.
Dosis: uncia dimidia omni bihorio. Utiliter clysmatibus aperientibus unciae duae vel tres adduntur.

Pasta Althaeae.

℞. Radicis Althaeae mundatae, grossiuscule concisae, Uncias quatuor,
affundatur
Aquae destillatae fervidae Librae octo.
Stent per noctem. In colatura solvantur
Gummi Arabici electi,
Sacchari albissimi, singulor. Librae duae.
Colentur, et continue spathula lignea agitando, evaporent leni calore ad mellis spissitudinem. Massa ab igne remota agitetur diu ac celeriter, ut albescat, cui subinde admisce
Albumina Ovorum recentium in spumam quassata, Numero duodecim,
Aquae florum Aurantii Uncias duas.
Detineatur adhuc per breve tempus super ignem, tandem effundatur in capsulas papyraceas et loco

calido penitus exsiccetur. In taleolas scissa servetur.

Vis: involvens, demulcens.
Usus: in tussi.

Pasta Liquiritiae.

℞. Radicis Liquiritiae decorticatae, grossiuscule concisae, Uncias quatuor.
Macera per noctem in
Aquae destillatae fervidae Libris octo.
In infuso colato solvantur
Gummi Arabici electi Librae duae cum dimidia,
Sacchari albissimi Libra una cum dimidia.

Colatura leni igne, sine agitatione, et caute evitando empyreuma, evaporet, donec gutta, disco vitreo frigido instillata, gelatinae instar appareat. Tunc detracta pellicula effunde in cistulas planas, e laminis ferreis stanno obductis paratas, et tantillo olei amygdalarum inunctas.

Pastam modico calore sufficienter exsiccatam, et in taleolas scissam, serva.

Usus: ut Pastae althaeae.

Plumbum aceticum depuratum.

(*Saccharum Saturni depuratum.*)

Plumbum aceticum crudum, solvatur in Aqua destillata calida. Solutum filtretur et loco frigido ad crystallisandum seponatur. Liquor remanens evaporet ut denuo crystallos deponat, et operatio repetatur, quoties crystalli coloris

expertes

expertes obtinentur. Caute in vasis bene obturatis serva.

Vis: exsiccans, styptica, colicam saturninam minitans, sensibilitatem minuens.

Usus: in exulcerationibus pulmonum ac intestinorum, haemoptysi ac haemorrhagia uteri cum sensibilitate aucta, in epilepsia vera infantum; externe aqua destillata solutum ad ophthalmiam.

Dosis: granum dimidium ad integrum bis terve die.

Potio Riveri.

℞. **Kali carbonici crudi depurati Unciam unam,**
Aceti vini crudi quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquor obtentus filtretur et servetur.

Vis: temperans, resolvens.

Usus: in orgasmo sanguinis, methodo exspectativa in febribus.

Dosis: uncia dimidia omni bihorio.

Pulpa Prunorum.

Fructus Pruni domesticae maturi, exemtis nucleis, coquantur ad mollitiem. Pulpa per cribrum setaceum trajecta evaporet in lebete stanneo ad requisitam spissitudinem. Singulis pulpae libris addantur

Sacchari albi pulverati **Unciae duae.**

Vis: laxans.

Usus: pro basi electuariorum laxantium.

Pulpa Tamarindorum.

Medullam **Fructuum Tamarindi orientalis** macera in Aqua destillata calida, tere per cribrum setaceum et blando calore in lebete stanneo ad requisitam spissitudinem evaporare fac. Singulis pulpae libris tunc admisce

Sacchari albi pulverati Uncias duas.

Vis: temperans, laxans.
Usus: ad laxandam ac purgandam alvum in febribus biliosis.
Dosis: unciae duae.

Pulvis aërophorus.

℞. Natri carbonici neutralis pulverati,
Acidi tartarici pulverati et siccati,
Sacchari albissimi pulverati et siccati
singulorum Drachmas duas.

Misce.

Vis: analeptica, antiemetica.
Usus: in vomitu spontaneo frustraneo spastico.
Dosis: scrupulus unus pluries die.

Pulvis alterans Plumeri.

℞. Hydrargyri muriatici mitis,
Sulphuris aurati Antimonii singulorum
Unciam unam.

Misce.

Vis: resolvens, alterans.

Usus: *in scrophulis, variisque exanthematibus chronicis.*
Dosis: *granum unum et alterum bis die.*

Pulvis aromaticus.

℞. Cassiae cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris excorticati,
Zingiberis,
Piperis albi singulorum Unciam unam.
Misce fiat pulvis.

Vis: *aromatica, stomachica, exaestuans.*
Usus: *in anorexia ac flatulentia ventriculi.*
Dosis: *grana sex ad decem ter die.*

Pulvis cosmeticus.

℞. Amygdalarum dulcium excorticatarum,
Fabae pulveratae singularum Uncias octodecim,
Radicis Iridis Florentinae pulveratae Uncias octo,
Cetacei Unciam unam cum dimidia,
Natri carbonici depurati siccati Unciam unam,
Saponis Hispanici pulverati Uncias sex,
Olei aetherei Lavandulae,
Bergamottae,
de Cedro singulor. Drachmas sex.
Misce.

Pulvis dentifricius niger.

℞. Pulveris subtilissimi Carbonum purorum
Unciam unam,
Pulveris subtilissimi Chinae fuscae Drachmas duas.
Misce.

Pulvis dentifricius ruber.

℞. Tartari depurati Uncias quatuor,
Radicis Iridis florentinae Uncias duas,
Myrrhae,
Sanguinis Draconis singulorum Unciam unam.
Pulveratis adde
Olei Caryophyllorum Guttas quadraginta.

Pulvis galactopoeus Rosensteinii.

℞. Magnesiae carbonicae Unciam unam,
Flavedinis corticum Aurantiorum subtiliter pulveratae,
Seminis Foeniculi subtiliter pulverati singulorum Drachmas duas.
Misce.

Usus: matribus ac nutricibus lactantibus ad lac augendum et emendandum datur.
Dosis: cochlear parvulum aliquoties die.

Pulvis gummosus.

(*Loco Specierum Diatragacanthae.*)

℞. Pulveris Gummi Arabici Uncias tres,

Pulveris Radicis Liquiritiae Unciam unam,
Sacchari albi Uncias duas.

Misce.

Vis: demulcens, involvens.
Usus: in tussi, diarrhoea.
Dosis: scrupulus dimidius ad integrum.

Pulvis Ipecacuanhae compositus.

(*Pulvis Doweri.*)

℞. Kali sulphurici depurati pulverati Unciam unam,
Opii pulverati,
Radicis Ipecacuanhae pulveratae singulor. Drachmam unam.

Misce exacte.

Vis: anodyna, antispastica, diaphoretica.
Usus: in rheumatismo, arthritide, pleuritide sanguinis exaestuatione exstincta.
Dosis: grana decem.

Nota. *Pulveris hujus grana decem continent Opii granum unum.*

Pulvis Liquiritiae compositus.

(*Pulvis pectoralis.*)

℞. Pulveris Radicis Liquiritiae,
Foliorum Sennae singulorum Uncias duas.
Seminis Foeniculi,
Sulphuris depurati loti singulor. Unciam unam,

Pulveris Sacchari albi Uncias sex,
Misce.

Vis: demulcens, laxans, diaphoretica.
Usus: in affectionibus catarrhalibus pulmonum.
Dosis: cochlear parvulum omni trihorio.

Pulvis Puerorum citrinus.

℞. Magnesiae carbonicae Drachmas sex,
Radicis Iridis florentinae,
Seminis Anisi,
Sacchari albi singulorum Drachmas duas,
Croci cum Spiritus vini pauxillo triti Grana viginti.
Misce fiat pulvis.

Vis: antacida, absorbens, carminativa, laxans.
Usus: in colica infantum ex acrimonia acida, et flatibus.
Dosis: grana quinque ad decem aliquoties die pro infantulo mensium sex.

Pulvis refrigerans.

℞. Acidi tartarici pulverati Uncias duas,
Elaeosacchari flavedinis Citri, recenter parati,
Sacchari albissimi pulverati singulorum Uncias quatuor.
Misce.

Pulvis Rhei tartarisatus.
(*Pulvis lenitivus tartarisatus.*)

℞. Pulveris subtilis flavedinis Corticum Aurantiorum,
Radicis Rhei,
Kali tartarici singulorum Unciam unam.

Misce.

Vis: *tonico-laxans.*
Usus: *in obstructione alvi habituali, hypochondriasi.*
Dosis: *drachma dimidia ad integram semel vel bis die.*

Pulvis sternutatorius albus.

℞. Pulveris Oryzae Unciam unam cum dimidia,
Hellebori albi Drachmas duas,
Iridis Florentinae Drachmam unam,
Mixturae oleoso-balsamicae Guttas viginti.

Misce.

Pulvis sternutatorius viridis.

℞. Herbae Majoranae Uncias tres,
Mari veri,
Florum Convallariae majalis,
Radicis Iridis Florentinae singulorum Unciam unam.

Misce fiat pulvis.

Pulveres sternutatorii usui esse possunt in cephalaea a catarrho suppresso, in variis ophthalmiis, amaurosi.

Pulvis stypticus.

℞. Pulverum Gummi Arabici,
Colophonii,
Aluminis crudi singulorum Uncias duas.

Misce.

Usus: externe in haemorrhagiis partium vulneratarum.

Pulvis Sulphuris compositus.

(*Flores sulphuris compositi.*)
(*Species Hierae-picrae.*)

℞. Sulphuris depurati loti Uncias duas,
Aloës lucidae,
Myrrhae singulorum Unciam unam,
Croci Scrupulum unum.

Misce fiat pulvis.

Vis: purgans, digestiva.
Usus: in cardialgia, obstructione alvi.
Dosis: grana quinque ad decem, semel die.

Resina Jalappae.

℞. Radicum Jalappae quantum vis.

In pulverem crassiusculum redactis affunde Spiritus Vini rectificati, quantum satis, ut radices tegat.

Digerantur leni calore per horas quadraginta octo. Exprimantur radices, et alia Spiritus quantitate denuo digerantur.

Ex tincturis commistis et filtratis, post additam Aquae quartam circiter partem, e balneo arenae destillando eliciatur Spiritus Vini. Resina subsidens abluatur aqua fervida, et exsiccetur in aquae balneo.

Vis: purgans, drastica, calefaciens.

Usus: ubi fortiter alvus incitari debet.

Dosis: grana quatuor ad decem, amygdalis trita, aut extractis nupta pilularum forma, semel bisve die.

Rotulae Menthae piperitae.

℞. Pulveris Sacchari albissimi Uncias quatuor,

Coque cum tantillo

Aquae destillatae, donec gutta exemta indurescat. Massae semirefrigeratae immisce

Olei Menthae piperitae Guttas triginta sex.

Fiant sueto more rotulae.

Vires olei aetherei.

Sapo Jalappinus.

℞. Resinae Jalappae,

Saponis medicati singulorum Uncias duas,

Spiritus Vini rectificati, quantum requiritur ut solvantur leni digestione. Tum ad massae pilularis consistentiam inspissa.

Vis: purgans.
Usus: tutior quam administratio nudae Resinae Jalappae.
Dosis: grana decem ad quindecim.

Sapo medicatus.

℞. Natri carbonici depurati Libram unam
solve in
Aquae destillatae Libris octo.
Solutionem in vas vitreum ingere, quod obturari potest, ibique misce cum
Calcariae ustae antea exstinctae Unciis quatuor.
Mixturam, successive crebre agitandam, sepone, usque dum examine facto fluidum, perfecte causticum sese exhibeat.
Lixivii decantati Libris quinque
in vas vitreum, amplo orificio instructum, immissis adde,
Olei Olivarum Provincialis optimi Libram unam.
Seponatur mixtura, saepius tamen agitata, per aliquot dies, usque dum speciem pultis homogeneae prae se ferat; tunc ferveat per tres horas balneo mariae, ac eodem denique evaporet et perfecte siccetur.
Sapo ita obtentus pulveretur et vasis bene clausis servetur.

Vis: solvens, antacida, oxyda metallica deoxydans.
Usus: in obstructione viscerum abdominalium, in dispositis ad calculos urinarios, in soda, saburra mucosa; in veneficio

metallico? externe uti emolliens et leniens ad tumores varios, indurationes mammarum et colicam in emplastris et cataplasmatibus adhibetur.

Dosis: drachma dimidia.

Sapo stibiatus.

(*Sapo antimonialis.*)

℞. Sulphuris aurati Antimonii Unciam unam,
solve digerendo in sufficiente quantitate
Liquoris Kali caustici.
Liquido adde
Saponis medicati pulverati Uncias sex.
Mixta evaporent leni igne ad massae pilularis consistentiam; addendo, dum massa adhuc rubet, tantum
Liquoris Kali caustici, quantum satis est, ut colorem ex albido cinereum induat. In vase obturato serva.

Parando Liquori saponis stibiati inservit.

Sapo terebinthinatus.

(*Balsamum vitae externum.*)

℞. Saponis Hispanici albi pulverati,
Olei Terebinthinae singul. Libram unam,
Kali carbonici crudi depurati Uncias duas.
Misceantur exacte.

Vis: resolvens, discutiens.
Usus: ad tumores induratos.

Serum Lactis cum Aceto vini.

℞. Lactis Vaccini bene emuncti Mensuras duas. Ebulliant. Tum additur Aceti vini quantum requiritur ut pars caseosa lactis coagulet, quae ope colatorii secernitur a liquido. Hoc albumine trium vel quatuor ovorum mixtum iterum coquitur et colatur, postremo vero ut perfecte limpidum sit, per chartam typographorum filtratur. Copia dicta lactis praebet seri Mensuram unam.

Vis: serum lactis cum acido rite paratum semper iisdem gaudet virtutibus, nullo ad acidum adhibitum habendo respectu. Sunt vero vires eius attenuantes, temperantes, solventes, laxantes, diureticae.

Usus: in dispositione sanguinis phlogistica, in phthisi pulmonali florida, tuberculosa, in obstructione viscerum abdominalium, exanthematibus chronicis floridis.

Dosis: libra una et altera die.

Cum adhibueris ad coagulandum lac, Alumen crudum habebis:

Serum Lactis aluminatum.

Vis: adstringens, majori nimirum quantitate aluminis adhibita, quam ad coagulandum lac requiritur.

Usus: in haemorrhagia uteri chronica, haematuria.

ita fit cum Pulpa Tamarindorum

Serum Lactis tamarindinatum

et cum Tartaro depurato

Serum Lactis tartarisatum.

Serum lactis tamarindinatum ac tartarisatum vi laxante gaudent, superflua scilicet addita menstrui portione.

Sinapismus.

℞. Pulveris Seminis Sinapis nigrae Unciam unam,
Aquae fontanae tepidae quantum satis
ut fiat cataplasma mollioris consistentiae.

Sinapismus fortior.

℞. Pulveris Seminis Sinapis nigrae Unciam dimidiam,
Piperis nigri Drachmam unam,
Rasurae Radicis recentis Armoraciae,
Fermenti Panis, singulorum Unciam unam.
Aceti concentrati quantum satis
ut fiat cataplasma mollioris consistentiae.

Vis: irritans, rubefaciens, derivans.
Usus: ad erigendam vim vitalem in magna debilitate, asphyxia, lipothymia; ad derivandam irritationem internam, ad locum remotum externum, in cephalaea, deliriis, doloribus rheumaticis, arthriticis retrogradis; ad sustentandas metastases criticas, exempli gratia parotidis.
Vix ultra horae spatium imponi debent, ne ulcera valde molesta excitent sinapismi.

Solutio arsenicalis Fowleri.

(*Solutio Fowleri.*)

℞. Arsenici albi,
Kali carbonici e Tartaro singul. Drachmam unam cum granis quatuor.
Aquae destillatae Uncias sex.

Coque in vase vitreo ad perfectam arsenici solutionem. Solutioni refrigeratae adde

Spiritus Lavandulae compositi Unciam dimidiam,
Aquae destillatae quantum requiritur ut liquoris sint Unciae duodecim.

In vase vitreo diligentissime serva.

Vis: irritans, alterans, nervina justa dosi, majori deleteria.

Usus: in febribus intermittentibus, herpete rebelli.

Dosis: adultis guttulae septem ad decem bis die.

Nota. *In drachma una cum dimidia hujus solutionis continetur granum unum arsenici.*

Solutio Asae-foetidae aquosa.

℞. Asae foetidae pulverati Drachmam unam,
Mucilaginis Gummi Arabici Drachmas duas,
Aquae destillatae Drachmas quatuordecim.

In mortario tere donec asa foetida soluta est. Tum cola.

Solutio Calcariae sulphurato-stibiatae.

(*Decoctum Sulphureti calcis Hoffmanni.*)

℞. Calcariae sulphurato-stibiatae Drachmam unam,

coque in vase fictili vitreato tecto cum Aquae destillatae Libris quinque, donec supersint Librae quatuor. Cola per chartam emporeticam.

Vis: alterans, diaphoretica, resolvens.

Usus: in rheumatismo, arthritide, obstructione viscerum abdominalium, scrophulis, herpete, aliisque exanthematibus chronicis.

Dosis: libra dimidia ad libras duas quotidie. Largior ac protractior usus ventriculo molestus esse solet.

Solutio Tartari depurati.

(*Decoctum Crystallorum Tartari.*)

℞. Tartari depurati Drachmas tres,

solve in

Aquae destillatae fervidae Mensura una,

admisce,

Syrupi Rubi Idaei Uncias duas.

Vis: temperans, laxans, diuretica.

Usus: in febribus biliosis, aestu sanguinis, hydrope.

Dosis: librae duae pro die.

Species aromaticae.

(*Loco Specierum pro cucuphis.*)

℞. Herbae Majoranae,
Menthae piperitae,
Rorismarini,
Serpylli,
Florum Lavandulae singulorum Uncias duas,
Caryophyllorum,
Cubebarum, singulorum Unciam unam.
Misce fiat pulvis grossiusculus.

Vis: aromatica, excitans, nervina.
Usus: Vino infusae sugillationibus ac partibus contusis optime medentur, nec semper rejiciendae sunt ejusmodi fomentationes in commotione cerebri.

Species ad Cataplasma.

(*Species emollientes.*)

℞. Herbae Malvae,
— cum flore Meliloti,
— Althaeae,
Florum Chamomillae vulgaris,
Seminis Lini singulorum Partes aequales.
Grossiuscule pulverata misceantur.

Vis: emolliens, resolvens, vel et suppurationem facilitans.
Usus: ad tumores inflammatos, anginam tonsillarem, tam gargarismatis, quam forma cataplasmatis.

Species pro Clysmate.

(*Species ad Enema.*)

℞. Herbae Althaeae Libras duas,
Florum Chamomillae vulgaris Libram unam,
Seminis Lini Libram dimidiam.
Concisa et contusa misce.

Clysma hujusmodi ex unciis tribus specierum paratum, alvum educit, ac dolores spasticos imi ventris mitigat.

Species ad Decoctum Lignorum.

(*Species Lignorum.*)

℞. Ligni Guajaci Libras duas,
Radicis Bardanae,
Saponariae singul. Libram unam,
Liquiritiae,
Ligni Sassafras singulorum Libram dimidiam,
Concisa misceantur.

Vis: alterans, diaphoretica.
Usus: in lue venerea? arthritide, exanthematibus chronicis.
Dosis: libra una decocti ex uncia una et altera specierum parata.

Species ad Fomentum.

℞. Strobilorum Lupuli Libram unam,
Florum Chamomillae vulgaris,

Florum Lavandulae,
Herbae Rorismarini,
Serpylli singulorum Uncias tres.
Concisa misce.

Usus: harum specierum vino decoctarum ad sugillationes et contusiones.

Species pro Gargarismate.

℞. Herbae Althaeae,
Salviae,
Florum Sambuci singulorum par pondus.
Concisa misce.

Usus: in inflammatione leviori uvulae ac tonsillarum.

Species ad Infusum pectorale.

(*Species pectorales.*)

℞. Radicis Althaeae Uncias quatuor,
Liquiritiae,
Iridis Florentinae,
Herbae Farfarae,
Hederae terrestris singularum Uncias duas,
Florum Rhoeados,
Verbasci singul. Unciam unam,
Seminis Anisi stellati Unciam dimidiam.
Concisa et contusa misceantur.

Usus: in catarrho pulmonum, raucedine.

Species resolventes.

℞. Herbae Absinthii,
Origani vulgaris singularum Uncias sex.
Florum Chamomillae vulgaris,
Lavandulae,
Sambuci singulorum Uncias duas.
Grossiuscule pulverata misceantur.

Usus: forma epithematis, vel sacculis inclusae, ad intumescentias discutiendas applicantur.

Species ad suffiendum.

(*Species pro Fumo.*)

℞. Olibani,
Benzoës,
Succini singulorum Libram dimidiam,
Florum Lavandulae,
Rosarum rubrarum singulorum Uncias duas,
Contusa et concisa misce.

Spiritus acetico-aethereus.

(*Liquor anodynus vegetabilis.*)

℞. Aetheris acetici Uncias quatuor,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim.
Mixta stent per octiduum loco frigido, et tunc

intrent retortam, ex qua destillent leni igne Unciae quindecim. Pond. Spec. 0,846.

Vis: analeptica, nervina, diuretica.
Usus: in atonia nervosa, spasmis.
Dosis: guttulae viginti quin plures, omni bihorio.

Spiritus Angelicae compositus.

(*Loco Spiritus theriacalis.*)

℞. Radicis Angelicae Libram unam,
Herbae Scordii Libram dimidiam,
Radicis Valerianae,
Baccarum Juniperi singul. Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras sex,
Aquae fontanae quantum satis.
Destillando eliciantur Librae sex.
Serva.

Vis: nervina, diaphoretica.
Usus: ad erigendas vires et promovendam crisin per cutem in febribus catarrhalibus, in typho.
Dosis: drachma dimidia ad integram.

Spiritus Angelicae compositus camphoratus.

(*Loco Spiritus theriacalis camphorati.*)

Nascitur cum in Spiritus Angelicae compositi Libris sex, solvantur Camphorae Uncia una cum dimidia.

Vis: nervina ac diaphoretica paulo intensior quam praecedentis.
Usus: idem.
Dosis: guttulae viginti vel triginta.

Spiritus camphoratus.
(*Spiritus Vini camphoratus.*)

℞. Camphorae Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Stent loco frigido, donec camphora fuerit soluta.

Vis: nervina, excitans, diaphoretica, discutiens, resolvens.
Usus: praecipuus externus ad contusiones, sugillationesque.

Spiritus Cochleariae.

℞. Herbae Cochleariae florescentis Libras duodecim.
Contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras sex.
Aquae fontanae quantum satis.
Destillent Librae sex.

Vis: antiscorbutica.
Usus: in affectionibus scorbuticis oris, in specie gingivarum, in stomacace cum acido muriatico utiliter miscetur.

Spiritus coeruleus.

℞. Herbae Absinthii,
Scordii,

Herbae Sabinae,
Florum Lavandulae singulorum Uncias quinque,
Spiritus Frumenti Libras sedecim.

Destillando eliciantur Librae novem, adde

Aeruginis Unciam unam cum dimidia in
Liquoris Ammonii caustici Libra una et dimidia,

soluti. Serva.

Vis: *resolvens, discutiens.*
Usus: *externus ad contusiones, luxationes repositas, sugillationes.*

Spiritus Formicarum.

℞. Formicarum viventium a quisquiliis mundatarum Libras duas,
Spiritus Vini rectificati,
Aquae fontanae singulorum Libras quatuor.

Destillando elice leni igne Libras quatuor.

Vis: *excitans.*
Usus: *externus ad paralysin.*

Spiritus Lavandulae.

℞. Florum Lavandulae Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras quatuor,
Aquae fontanae quantum satis.

Post macerationem per viginti quatuor horas destillando elice Libras quatuor.

Vis: *nervina, analeptica, resolvens.*
Usus: *externus in lipothymia; ad fortificanda membra.*

Eodem modo parantur:

Spiritus Juniperi e baccis.

Vis: *excitans, diuretica.*
Usus: *in mixturis diureticis.*
Dosis: *drachma integra pluries die.*

Spiritus Rorismarini.

Vis ac Usus: *Spiritus Lavandulae.*

Spiritus Serpylli.

Vis ac Usus: *Spiritus Lavandulae.*

Spiritus Lavandulae compositus.

℞. Spiritus Lavandulae Libras duas,
Rorismarini Uncias octo,
Cinnamomi,
Nucum Moschatarum singulorum Drachmas duas,
Rasurae Ligni Santali rubri Unciam dimidiam.

Digere per hebdomatem, filtra et serva.

Vis: *analeptica, stomachica.*
Usus: *in lipothymia, anorexia, flatulentia ventriculi.*
Dosis: *drachma una bis terve die.*

Spiritus Mastiches compositus.

(*Spiritus matricalis.*)

℞. Masticbes,
Myrrhae,
Olibani singulorum Uncias tres,
Spiritus Vini rectificati Libras sex.

Macera per viginti quatuor horas, et destillando elice Libras quatuor cum dimidia.

Vis: excitans.
Usus: pro lotione in summa debilitate, paralysi, ad molestias gravidarum e nimia distentione ventris.

Spiritus muriatico-aethereus.

(*Spiritus Salis dulcis.*)

℞. Natri muriatici Uncias sedecim,
Mangani oxydati nativi pulverati Uncias sex.

In retortam immissis adde
Acidi sulphurici crudi Uncias duodecim,
antea cum
Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quadraginta octo
caute mixtas. Destillent Unciae triginta sex quae rectificentur supra
Magnesiae ustae Unciam unam.

In vitris bene obturatis servetur. Pond. spec. = 0,835 — 0,845.

Vis. nervina, analeptica, diuretica.
Usus: in debilitate nervosa, spasmis.

Dosis: guttulae viginti, viginti quatuor pluries die.

Spiritus nitrico-aethereus.

(*Spiritus Nitri dulcis.*)

℞. Spiritus Vini rectificatissimi Uncias viginti quatuor.

Caute misce cum

Acidi nitrici puri Unciis sex.

Mixta stent per viginti quatuor horas in retorta tubulata, balneo arenae imposita, adaptato excipulo ope luti. Dein destillent igne lenissimo

Unciae viginti.

Spiritum elicitum supra

Magnesiae ustae Unciam dimidiam

rectifica, et in lagenulis repletis ac bene obturatis loco frigido serva. P. sp. = 0,840 — 0,850.

Vis, usus ac dosis: ut antecedentis.

Spiritus saponatus.

℞. Saponis Hispanici rasi Libram unam,
Spiritus Vini rectificati Libras tres,
Aquae Rosarum Libram unam.

Solve digerendo et filtra.

Vis: resolvens, discutiens.
Usus: ad contusiones, perniones.

Spiritus sulphurico-aethereus.

(*Liquor anodynus mineralis.*)

℞. Aetheris sulphurici Uncias quatuor,

Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duodecim.

Stent mixta per octiduum in loco frigido et deinde e retorta, leni igne destillent Unciae quindecim. Pond. spec. = 0,816.

Vis: *nervina, analeptica, antispastica.*
Usus: *in affectionibus nervosis, spasticis, hystericis, anxietate.*
Dosis: *guttulae viginti ad triginta pluries die.*

Spiritus sulphurico-aethereus camphoratus.

(*Liquor nervinus.*)

℞. Spiritus sulphurico-aetherei Unciam unam cum dimidia,
Camphorae Drachmas duas.
Misce et solve.

Vis: *nervina, antispastica, diaphoretica.*
Usus: *in spasmis, doloribus rheumaticis, febribus nervosis.*
Dosis: *guttulae viginti pluries die.*

Spiritus sulphurico-aethereus martiatus.

(*Liquor anodynus martialis.*)
(*Tinctura nervina Bestuscheffii.*)

℞. Ferri muriatici oxydati Unciam dimidiam,
Aetheris sulphurici Uncias duas.

Misce conquassando. Aetherem aic ferro muriatico impraegnatum, separa et cum

Spiritus Vini rectificatissimi Unciis quatuor

misce. Mixtum in vitris oblongis bene obturatis, radiis solis tam diu expone, donec color omnis evanuerit. Tum in vasis bene clausis serva.

Vis: nervina, antispastica, roborans.

Usus: in debilitate nervosa et laxitate solidorum.

Dosis: guttulae octodecim, viginti, immo plures, omni trihorio.

Spiritus Vini rectificatissimus.

(*Alcohol Vini.*)

Spiritus Vini rectificatus iterum remissiore balnei arenae calore tam diu destillet, quam gossypium, Spiritu stillante madefactum et accensum, post Spiritus deflagrationem in cinerem vertatur. Pond. spec. = 0,841.

Tam Spiritus Vini rectificatus, quam rectificatissimus usui pharmaceutico reservantur, gaudent vero viribus maxime excitantibus ac analepticis, majori dosi inebriantibus.

Spiritus Vini rectificatus.

Spiritus Frumenti, uti prostat, bonae tamen notae, fermentatione vinosa et subsequente destillatione, e frumento, succo uvarum aut quocunque vegetabili alio obtentus, supra carbones recenter ustos rectificetur. Pond. spec. = 0,895 — 0,905.

Spongiae ceratae.

Spongiae marinae tenues, mundatae et exsiccatae, immergantur Cerae flavae liquefactae, ac prelo fortiter exprimantur, et quando refrixerint, a cera superflua mundentur.

Usus: in dilatandis vulneribus, ac meatibus naturalibus.

Stibium oxydatum.

℞. Liquoris Stibii muriatici Partem unam.

Misce in vase vitreo aut figulino cum Aquae destillatae fervidae Partibus sedecim, vel quantum praecipitationis causa requiritur.

Praecipitatum statim a liquore filtro separa, rite edulcora, et exsicca leni calore. Hujus pulveris Partes octo in cucurbita, cum Kali carbonici e Tartaro Parte una, in Partibus sex Aquae destillatae soluta, infunduntur, et sub successiva restitutione aquae evaporatae coquuntur per integram vel sesquihoram. Mixtione refrigerata fluidum decantatur, sedimentum vero tamdiu aqua destillata edulcoratur, usque dum nec charta curcuma tincta fusca evadat, nec argenti nitrici solutio inde turbetur. Edulcoratione peracta residuum exsiccatur, et in vasis bene obturatis servatur.

Usus: pharmaceuticus, medicis obsoletus.

Stibium sulphuratum nigrum laevigatum. vid. P. I. pag. 131.

(*Antimonium crudum praeparatum.*)

Vis: incidens, resolvens, diaphoretica, alterans.
Usus: in arthritide, scrophulis, exanthematibus chronicis.
Dosis: scrupulus unus ad drachmam unam pluries die.

Strychninum.

℞. Nucum Vomicarum Libras octo.
In vesicam destillatoriam immissis adde
Spiritus Frumenti Libras sedecim,
et applicato alembico decoque donec dimidia pars fluidi destillata fuerit. Tum nuces vomicae a fluido colando separatae siccentur et in pulverem grossiusculum redigantur. Hunc bis terve digere cum
Spiritus Frumenti sufficiente quantitate,
post digestionem semper exprimendo. Dein tincturae destillationi subjiciantur, et quod remanet cum fluido a decocto residuo ad remanentiam Librarum duodecim evaporet. Huic adde
Plumbum aceticum depuratum, in quantitate sufficiente Aquae destillatae solutum,
quamdiu praecipitatum inde efficitur. Liquor a praecipitato ope filtri, quantum fieri potest, separatus, leni igne ad dimidium evaporet. Refrigeratum misce cum
Magnesiae ustae Unciis duabus,
et sepone per triduum, quo facto sedimentum ope filtri separatum edulcoretur et siccetur. Hoc in pulverem tritum bis terve cum

Spiritus Vini rectificatissimi sextuplo digere. Tincturae destillationi subjiciantur donec non nisi aliquot unciae supersint.

Strychninum, post refrigerationem in retorta instar pulveris albi conspicuum, filtratione separatum, bis terve

Spiritu Vini rectificato

cum

Aquae destillatae quantitate aequali diluto

ad separationem lixivii adhaerentis usque lava, tum sicca et serva.

Strychninum aceticum.

℞. Strychnini quantum vis.

Solve in

Aceti concentrati, Aquae destillatae quantitate aequali diluti, quantitate sufficiente

ut liquor perfecte neuter appareat. Hic filtratus, blandissimo calore ad momentum crystallisationis evaporet. Crystallos collectas caute serva.

Vis: narcotica, antispastica.

Dosis: grani octava pars.

Nota. *Cum loco aceti, ad saturationem adhibetur* acidum muriaticum *aut* acidum nitricum purum dilutum *nascitur*

Strychninum muriaticum.

— nitricum.

Succus Dauci depuratus.

(*Roob Dauci depuratum.*)

Succus Dauci inspissatus crudus in Aqua

destillata solvitur, colatur, et leni igne ad mellis consistentiam inspissatur.

Vis: *incidens, solvens, anthelmintica.*
Usus: *in tussi, contra lumbricos.*
Dosis: *uncia dimidia pluries die.*

Eodem modo depuretur:

Succus Sambuci depuratus.

(*Roob Sambuci depuratum.*)

Vis: *diaphoretica.*
Usus: *in refrigerio.*
Dosis: *uncia dimidia semel die.*

Succus Juniperi inspissatus.

(*Roob Juniperi.*)

Baccae Juniperi maturae recenter collectae et contusae coquantur ex Aqua communi donec molescant; tum modice exprimantur. Liquor expressus, subsidendo et colando depuratus, primo leni calore, deinde in balneo vaporis ad syrupi spissioris consistentiam inspissetur. In vasis bene obturatis serva.

Vis: *diuretica, stomachica.*
Usus: *in urinae secretione diminuta, hydrope.*
Dosis: *drachmae duae pluries die.*

Succus Liquiritiae depuratus.

(*Extractum Liquiritiae.*)

Succus Liquiritiae spissatus venalis, in

frustula diffractus, maceretur in Aqua destillata tepida, ut solvatur. Solutum, per pannum laneum colatum, leni igne inspissetur ad extracti durioris densitatem.

Vis: demulcens, involvens.
Usus: in tussi catarrhali.
Dosis: scrupulus dimidius pluries die.

Suffumigatio Guytoniana.

℞. Natri muriatici pulverati,
Mangani oxydati nigri pulverati singul. Uncias tres,
Aquae fontanae Unciam unam cum dimidia.

Misceantur in patella vitrea vel figulina, et affundantur

Acidi Sulphurici crudi Unciae quatuor.

Mox diffundentur vapores chlori, concentrati pulmonibus molesti, qui copiosiores erumpent, si materies moveatur bacillo vitreo, vel porcellaneo.

Vis: destruens miasmata et contagia quorundam morborum.
Usus: in typho contagioso; gangraena nosocomiali. Cholera asiatica?

Nota. *Portio materiarum supra praescripta apta est cubiculo triginta pedes lato longoque, et duodecim circiter alto, quod vacuum hominibus, et remotis rebus metallicis, perfecte claudi, nec aperiri debet, nisi elapsa semi-hora. Si vero insint homines, ea ratione evolvendi sunt vapores, ut absque molestia ferantur.*

Sulphur

Sulphur auratum Antimonii.

(*Sulphur stibiatum aurantiacum.*)

℞. Stibii sulphurati nigri electi et subtiliter pulverati,
Sulphuris depurati singulorum Partes aequales,
Liquoris Kali caustici quantum ad solutionem requiritur.

Mixta coque in lebete ferreo, continue spathula movendo, et aquam evaporatione consumtam interdum restituendo, usque dum pene dissoluta sint. Solutionem cum duplo pondere Aquae pluvialis calidae mixtam et per viginti quatuor horas sepositam filtra. Tum liquori limpido denuo triplum pondus Aquae pluvialis adde et instilla

Acidum sulphuricum dilutum

quamdiu praecipitatum aurantiacum inde efficitur, caute evitando gas hydrosulphuratum inde exortum. Praecipitatum aqua tepida abluatur, denique lenissimo calore siccetur et in vasis bene obturatis loco umbroso servetur.

Vis: resolvens, diaphoretica, alterans.
Usus: in tussi catarrhali, rheumatismo, arthritide, obstructione viscerum, scrophulis, vitiis cutis variis.
Dosis: granum unum omni bihorio.

Sulphur depuratum lotum.

(*Flores sulphuris loti.*)

Sulphur depuratum, quale prostat, Aqua

pluviali fervida ab acido adhaerente perfecte libera, et siccatum serva.

Vis: incidens, resolvens, diaphoretica, laxans.

Usus: in affectionibus catarrhalibus, rheumaticis, arthriticis, haemorrhoidibus, scabiem externo usu sanat.

Dosis: scrupulus unus pluries die.

Sulphur praecipitatum.

(*Lac Sulphuris.*)

℞. Liquoris Kali caustici quantum placet.
Ferventi in sartagine ferrea per vices adde
Sulphuris depurati,
quantum liquor kali caustici solvere valet. Liquorem cum triplo Aquae pluvialis calidae mixtum per viginti quatuor horas sepone. Tum decantatione et filtratione depurato sensim instilla
Acidi sulphurici diluti,
quantum ad praecipitandum sulphur requiritur, caute evitando gas hydrosulphuratum suffocans inde natum. Praecipitatum aqua tepida sedulo ablue et loco temperato sicca. In vasis bene clausis serva.

Vis: laxans, diaphoretica.

Usus: ad purgandam alvum, in specie haemorrhoidibus affectorum, post veneficia metallica, ad exanthemata chronica, ad anasarcam post scarlatinam?

Dosis: scrupulus unus ad drachmam dimidiam.

Syrupus Althaeae.

℞. Radicis Althaeae decorticatae Uncias duas.

Infunde
Aquae destillatae fervidae Libras tres.
Post refrigerationem cola et in colatura solve
Sacchari albissimi Libras quatuor.
Semel ebulliendo fiat syrupus.
Vis: *demulcens, bechica.*
Usus: *in affectionibus pulmonum.*

Syrupus de Ammoniaco.

℞. Ammoniaci pulverati Uncias duas,
Vini Gallici albi Uncias decem.
Solve et admisce
Sacchari albi, ad consistentiam tabulati cocti
Uncias sedecim.
Agitentur usque dum refrigescant.
Vis: *incidens, solvens.*
Usus: *in tussi catarrhali chronico.*

Syrupus Amygdalarum.

(*Syrupus emulsivus.*)

℞. Amygdalarum dulcium Uncias octo,
amararum Uncias duas.
Decorticatis et in mortario lapideo pistilli lignei ope contusis, sensim adde
Aquae destillatae Libras duas,
Florum Aurantii Uncias duas.
In emulsionis colatae Unciis viginti solve
Sacchari albissimi Libras duas cum dimidia
Calore lenissimo fiat syrupus.

Vis: *demulcens, involvens.*
Usus: *ad parandam ex tempore emulsionem amygdalinam; ad edulcorandas emulsiones camphoratas cum gummi arabico paratas.*

Syrupus Aurantiorum Corticum.

℞. Corticum Aurantiorum siccatorum, et a substantia medullari mundatorum, Uncias quatuor.
Minutim concisis affunde
Vini albi Gallici Libras duas cum dimidia.
Digere per biduum vase clauso. Exprime. Unciis viginti post colaturam remanentibus adde
Sacchari albi Libras tres.
Semel ebulliendo fiat syrupus.
Vis: *analeptica.*

Syrupus Balsami Peruviani.

(*Syrupus balsamicus.*)

℞. Balsami Peruviani Unciam unam.
Infunde in vase clauso cum
Aquae destillatae fervidae Libra una.
In liquoris post refrigerationem decantati Unciis decem solve
Sacchari albi Libram unam cum dimidia.
Semel ebulliendo fiat syrupus.
Vis: *balsamica, diuretica.*
Usus: *in gonorrhoea chronica, blennorrhoea pulmonum ac vesicae urinariae chronica, cum pulvere corticis peruviani, forma electuarii.*

Syrupus Capillorum Veneris.

℞. Herbae Capillorum Veneris Uncias tres.
Infundantur in
Aquae destillatae ferventis Libris tribus cum dimidia.
In infuso colato dissolve calore blando
Sacchari albissimi Libras quinque,
ut fiat syrupus, cui admisce
Aquae Florum Aurantii Uncias duas.

Vis: incidens, bechica.
Usus: in tussi catarrhali.

Syrupus Cerasorum.

℞. Fructuum Cerasorum acidorum, quantum placet.
Conquassati stent per dies quatuor, tum exprime et cola succum.
Hujus succi depurati Unciis viginti adde
Sacchari albissimi Libras tres.
Semel ebulliendo in lebete stanneo fiat syrupus.

Vis: temperans, sitim leniens.
Usus: ad acuendum potum in febribus acutis.

Eodem modo parentur:

Syrupus Mororum.
— Rubi Idaei
— Succi Citri (Syrupus Acetositatis Citri) succum recenter expressum adhibendo.

Nota. *Syrupi hic nominati, plus minus conveniunt cum antecedenti, syrupo mororum praeterea vis contra aphthas oris competit.*

Syrupus Chamomillae.

℞. Florum Chamomillae Uncias octo.
Infunde in
Aquae destillatae ferventis Libris tribus
per aliquot horas. In liquoris colati Unciis viginti octo dissolve
Sacchari albi Libras quatuor.
Ebullitione unica fiat syrupus.

Vis: antispasmodica.

Syrupus Cinnamomi acuti.

℞. Cinnamomi acuti contusi Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Uncias quatuordecim.

Digere in vase clauso per triduum, liquorem tum exprime et cola. In colatura Unciarum undecim dissolve blando calore
Sacchari albissimi Libram unam cum dimidia
ut fiat syrupus.

Vis: aromatica, analeptica, calefaciens.
Usus. in mixturis stomachicis et nervinis.

Syrupus Diacodion.

(*Syrupus Papaveris albi.*)

℞. Capitum Papaveris, nondum plane maturorum cum seminibus Uncias duas,

Siliquarum dulcium Uncias duas cum dimidia.
Incisis affunde
Aquae destillatae Libram unam cum dimidia.
Coquantur lento igne, ad calaturae remanentiam Unciarum decem, in fine coctionis addendo
Radicis Liquiritiae minutim incisae Unciam unam cum dimidia.
In colatura dissolve
Sacchari albi Uncias sedecim.
Despumatus et colatus syrupus servetur.

Vis: antispastica, leniens, hypnotica.
Usus: in diarrhoeis sine materia, doloribus colicis, tussi sicca, agrypnia.
Dosis: cochlear unum semel bisve die ad somnum facilitandum.

Syrupus Florum Aurantii.

(*Syrupus florum Naphae.*)

℞. Aquae Florum Aurantii Uncias decem,
Sacchari albissimi Uncias sedecim.
Fiat syrupus.

Vis: analeptica, nervina.

Syrupus Lichenis Islandici.

℞. Lichenis Islandici Uncias sex,
Aquae destillatae Libras sex.
Coque ad colaturam Librarum quatuor, adde

Sacchari albi Libras quinque.
Ebulliendo fiat syrupus.

Vis: incidens, involvens.
Usus: in tussi.

Syrupus Liquiritiae.

℞. Radicis Liquiritiae concisae Uncias octo,
Aquae destillatae fervidae Libras tres.
Post macerationem coque leniter per quadrantem horae. Liquor expressus evaporet, donec supersint Unciae quatuordecim; quibus adde
Sacchari albi,
Mellis despumati singulorum Libras duas.
Ebullitione unica fiat syrupus.

Vis: demulcens.
Usus: in tussi.

Syrupus Mannae laxativus.

℞. Foliorum Sennae Uncias quatuor,
Seminis Foeniculi Unciam dimidiam,
Aquae destillatae fervidae Libras duas.
Stent in vase clauso per aliquot horas. In liquoris expressi et colati Unciis octodecim solve
Sacchari albi Libras duas,
Mannae Libram dimidiam.
Ebulliant semel, ut fiat syrupus.

Vis: laxans.
Usus: pro infantulis neonatis uti eccoprotici; in affectionibus pulmonum infantum.
Dosis: cochlear parvum bis, vel saepius die.

Syrupus Rhamni cathartici.

(*Syrupus domesticus.*)
(*Syrupus de Spina Cervina.*)

℞. Baccarum Rhamni cathartici, circa finem Septembris, vel Octobris initio collectarum, quantum vis; Conquassatae et calefactae exprimantur.

Succi hujus colati Unciis viginti adde
Sacchari albi Uncias triginta duas.

Solvantur et colentur, addendo in petia ligata,
Anisi,
Masticbes singulorum Drachmas tres,
Zingiberis,
Cinnamomi,
Caryophyllorum singulorum Drachmam unam cum dimidia.

Fiat syrupus.

Vis: laxans, hydragogum?
Usus: in formandis pilulis laxantibus.

Syrupus Rhei.

℞. Rhei concisi Uncias tres,
Cassiae cinnamomeae Drachmas sex.
Kali carbonici crudi depurati Drachmas duas.

Affunde
Aquae destillatae fervidae Libras duas.

Digere per noctem. Colaturae Unciarum viginti
adde
Sacchari albi Uncias triginta duas
et fiat syrupus.

Vis: laxans, carminativa, antacida.
Usus, pro infantulis neonatis.
Dosis: cochlear parvum bis die.

Syrupus Rhoeados.

(*Syrupus Papaveris rubri.*)

℞. Florum Rhoeados recentium Libram unam,
Aquae destillatae fervidae Libras duas.
Macera per noctem. E colatura Unciarum viginti
fiat cum
Sacchari albi Libris tribus
unica ebullitione syrupus.

Vis: antispastica, demulcens.

Syrupus Scillae.

(*Oxysaccharum Scilliticum.*)

℞. Aceti Scillitici Libram unam cum dimidia,
Cassiae Cinnamomeae contusae,
Zingiberis singulorum Unciam unam.
Digerantur per triduum et colentur, addendo
Sacchari albi Uncias triginta
ut fiat unica ebullitione syrupus, qui colatus in vitro, vel vase porcellaneo servandus.

Vis: incidens, bechica, diuretica, emetica.
Usus: in mixturis diureticis et emeticis.

Syrupus Senegae.

℞. Radicis Senegae concisae Unciam unam,
Aquae destillatae Libram unam cum dimidia.

Coque ad colaturam Unciarum decem. Adde Sacchari albi Libram unam cum dimidia, ut fiat syrupus.

Vis: incidens, bechica.
Usus: in tussi, angina laryngea?

Syrupus simplex.
(*Saccharum clarificatum.*)

℞. Sacchari albi Uncias triginta duas
Solve in
Aquae destillatae Unciis viginti,
ut fiat unica ebullitione syrupus.

Vis: demulcens.

Syrupus Violarum.

℞. Florum Violae odoratae recentium, a calyculis mundatorum, Uncias octo,
Aquae destillatae fervidae Libras duas.

Stent in vase stanneo per horas duodecim. Liquoris colati Unciis viginti adde
Sacchari albissimi Uncias triginta duas.
Solvendo leni calore in vase stanneo, fiat syrupus.

Vis: demulcens.
Usus: in tussi infantum.

Syrupus Zingiberis.

℞. Radicis Zingiberis concisi Uncias duas,
Aquae destillatae fervidae Uncias sedecim.

Macera per horas quatuor, et cola. Liquori decantato adde

Sacchari albi Libras duas.

Ebullitione unica fiat syrupus.

Vis: aromatica, stomachica, carminativa, calefaciens.

Tartarus ammoniatus.

(*Tartarus solubilis ammoniacalis.*)

℞. Tartari depurati pulverati, quantum lubet.
In vase porcellaneo

Aquae destillatae fervidae, tripla vel quadrupla quantitate superinfusum satura, successive addendo

Liquorem Ammonii carbonici aquosi

quantitate aliquantum excedente. Liquorem sepone loco frigido per viginti quatuor horas, filtra et leni igne evaporare fac, ut appareat pellicula. Iterum jam adde

Liquoris Ammonii caustici partem,

ut qui sub evaporatione secesserit Tartarus, resolvatur. Liquor tunc ad crystallisandum per aliquot dies loco frigido seponitur, haecque operatio toties repetitur, quoties lixivium crystallos adhuc praebeat. Crystalli collectae et siccatae in vitro bene obturato servantur.

Vis: leniter laxans, diuretica.

Usus: in febribus acutis, hydrope; obstructione viscerum.
Dosis: drachma una pluries die.

Tartarus boraxatus.
(*Cremor Tartari solubilis.*)

℞. Boracis Libram dimidiam.
In vase porcellaneo
Aquae destillatae bullientis Decuplo
soluto adde
Tartari depurati Libram unam cum dimidia, vel quantum solvitur.

Hoc soluto, lixivium in vase porcellaneo aut vitreo loco frigido per viginti quatuor horas sepone, dein, in simile vas planum filtratum, in balneo arenae, calore 80^0 R. non superante, exsicca. Sal siccum in pulverem tritum, vitro epistomio bene clauso serva.

Vis: diuretica, emmenagoga, laxans.
Usus: in hydrope, (post scarlatinam) amenorrhoea.
Dosis: scrupulus unus, vel drachma dimidia omni trihorio.

Tartarus depuratus.
(*Cremor Tartari.*)

Crystalli Tartari purificati venales explorentur, an ab inquinamentis metallicis, et salibus heterogeneis sint liberae. Tum Aqua frigida abluantur, et iterum siccatae in mortario ferreo mundo et modice calefacto in pulverem terantur.

Vis: refrigerans, laxans, diuretica.
Usus: in aestu sanguinis, haemorrhoidibus, hydrope.
Dosis: drachma una omni trihorio.

Tartarus natronatus.

(*Sal Seignette.*)

℞. Natri carbonici depurati quantum lubet.
Solve in
Aquae destillatae fervidae Sextuplo.
Lixivio in vase stanneo ebullienti sensim adde
Pulveris Tartari depurati, quantum satis ad saturationem.
Liquorem per chartam colatum evaporare fac, et ad crystallisandum sepone. Crystallos collectas et siccatas serva.

Vis: temperans, laxans, diuretica.
Usus: uti Tartari depurati.

Tartarus stibiatus.

(*Tartarus emeticus.*)

℞. Stibii oxydati Uncias sex,
Tartari depurati Uncias octo.
Intime mixta in vase porcellaneo cum Aqua destillata diluantur ad pultis tenuis consistentiam, et tunc in balneo arenae, sub perpetua agitatione, aqua evaporata subinde restituta, calefiant ad ebullitionem usque, donec massa sit syrupiformis, et attactu non sabulosa. Tunc immittatur vase porcellaneo, in quo jam prius coquitur Aquae destillatae octuplum omnium ingredien-

tium pondus, atque cum eo coquatur per horam dimidiam.

Solutio nunc filtretur in vas porcellaneum, et seponatur ad crystallisandum. Lixivium crystallis supernatans iterum evaporet, donec appareat pellicula, filtretur et ad crystallisandum seponatur; idque tamdiu repetatur, quam crystalli purae excernantur.

Omnes jam colligantur crystalli, siccentur, a calcarea tartarica in spicula crystallisata, ipsis adhaerente, mundentur, in pulverem subtilem terantur, et in vase vitreo infundantur cum Aquae destillatae frigidae partibus quindecim, crebro agitando.

Solutio denuo filtretur et evaporet ad crystallisationis momentum, seponendo tunc promovendae.

Mutuum hoc evaporationis et crystallisationis negotium tamdiu prosequaris, quamdiu obtinueris crystallos rite formatas et incolores, quae omnes bene siccatae, et tritura in pulverem subtilem redactae, in vitro serventur.

Vis: *in minima dosi resolvens, alterans, diaphoretica, nauseans*; *in dosi majori, vel citius repetita, emetica, laxans.*

Usus: *in dosi majori ad ciendum vomitum aut evacuandi, aut revellendi scopo; in dosi minima, non tamen nimis diu repetenda, in obstructione viscerum abdominalium, amaurosi, mania, arthritide;*

externe forma unguenti ad tussim convulsivam, ad cephalaeam rebellem, et maniam, et forma lotionis ad tumores glan-

dularum, ac articulorum frigidos, nec non in rheumatismo chronico.

Dosis: minima octava vel quarta pars grani unius omni bihorio; dosis major emetica grana duo ad quatuor intra horae dimidiae tempus. Maniacis saepius duplum vix sufficit. Semper praebendus est forma soluta.

Terebinthina cocta.

Partem resinosam e destillatione Olei Terebinthinae residuam, ex aqua exemtam, aëri expone, donec indurescat.

Vis: balsamica, diuretica, propter deficientiam olei aetherei minus calefaciens terebinthina integra.

Usus: in gonorrhoea chronica, arthritide, rheumatismo chronico.

Dosis: drachma dimidia pluries die.

Tinctura Absinthii.

℞. Herbae Absinthii vulgaris Uncias sex.
Minutim concisis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Post sufficientem digestionem in cucurbita clausa, exprime et filtra.

Vires ac Usus variarum tincturarum facile intelliguntur e menstrui et corporum eo extractorum natura.

Dosis: tincturae Absinthii guttulae sexaginta vel octoginta, semel bisve die.

Eodem

Eodem modo parandae sunt:

Tinctura Lupuli Strobilorum.

Dosis: guttulae triginta saepius die.

Tinctura Sabinae.

Dosis: guttulae triginta pluries die.

Tinctura Trifolii.

Dosis: guttulae sexaginta, vel octoginta semel bisve die.

Tinctura Absinthii composita.

℞. Herbae Absinthii vulgaris Unciam unam,
Radicum Zedoariae Unciam dimidiam,
Caryophyllatae Drachmas duas,
Foliorum Cardui benedicti,
Herbae Centaurii minoris singulorum Unciam dimidiam,
Corticum Aurantiorum,
Citri singulorum Drachmas duas,
Caryophyllorum aromaticorum Drachmam unam.
Incisis ac contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Stent in digestione per dies quatuor in vase optime clauso, postea prelo exprimantur, expressum per chartam bibulam filtretur et servetur.

Dosis: guttulae sexaginta semel bisve die.

Tinctura Aconiti aetherea.

℞. Herbae Aconiti Uncias duas,
Spiritus sulphurico-aetherei Uncias octo.
Frigida digestione per dies octo in vitro obturato, saepius agitando, extrahatur tinctura.

Dosis: guttulae viginti.

Eodem modo parandae sunt:

Tinctura Digitalis aetherea.

Dosis: guttulae quindecim ad viginti.

Tinctura Valerianae aetherea.

Dosis: guttulae viginti ad triginta.

Tinctura Aloës.

℞. Aloës lucidae Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Uncias decem.
Post digestionem filtra.

Dosis: guttulae viginti ter die.

Tinctura amara.

℞. Herbae Centaurii minoris,
Pomorum Aurantii immaturorum,
Radicis Gentianae singul. Uncias duas,
Zedoariae Unciam unam.
Concisis et contusis affunde
Spiritus Vini rectificati Libras tres.
Post digestionem exprime et filtra.

Dosis: guttulae sexaginta bis die.

Tinctura Angelicae.

℞. Radicis Angelicae Uncias quinque,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.

Digere, post sufficientem extractionem exprime et filtra.

Dosis: *guttulae triginta pluries die.*

Pari modo parandae sunt:

Tinctura Aurantiorum corticum.

Dosis: *guttulae sexaginta vel octoginta bis die.*

Tinctura Aurantiorum pomorum immaturorum.

Dosis: *guttulae sexaginta vel octoginta bis die.*

Tinctura Calami.

Dosis: *guttulae octoginta bis die.*

Tinctura Cardamomi.

Dosis: *guttulae viginti pluries die.*

Tinctura Caryophyllorum.

Dosis: *guttulae quindecim pluries die.*

Tinctura Cascarillae.

Dosis: *guttulae triginta pluries die.*

Tinctura Catechu.

Dosis: *guttulae viginti et ultra pluries die.*

Tinctura Chinae fuscae.

Dosis: *guttulae quadraginta, sexaginta pluries die.*

Tinctura Chinae regiae.

Dosis: *guttulae quadraginta, sexaginta pluries die.*

Tinctura Cinnamomi acuti.

Dosis: *guttulae viginti ad quadraginta vel sexaginta pluries die.*

Tinctura Galangae.

Dosis: *guttulae sexaginta bis die.*

Tinctura Gentianae.

Dosis: *guttulae sexaginta vel octoginta bis die.*

Tinctura Hellebori albi.

Dosis: *guttulae quinque ad octo ter quaterve die.*

Tinctura Macidis.

Dosis: *guttulae viginti pluries die.*

Tinctura Pimpinellae.

Dosis: *guttulae triginta pluries die.*

Tinctura Quassiae.

Dosis: drachma una bis die.

Tinctura Ratanhae.

Dosis: guttulae triginta.

Tinctura Scillae.

Dosis: guttulae sex ad decem pluries die.

Tinctura Valerianae.

Dosis: guttulae quadraginta pluries die.

Tinctura aromatica.

℞. Cassiae Cinnamomeae Uncias duas,
Cardamomi minoris,
Caryophyllorum,
Galangae,
Zingiberis singulorum Unciam dimidiam.
Contusa et concisa digerantur
Spiritus Vini rectificati Libris duabus.
Filtra et serva.

Dosis: guttulae quadraginta pluries die.

Tinctura aromatica acida.

(*Elixir Vitrioli Mynsichti.*)

℞. Tincturae aromaticae Librae uni.
Instilla
Acidi sulphurici depurati Unciam dimidiam,
adde

Sacchari albi parum tosti Uncias duas.
Misce et serva.

Dosis: guttulae triginta omni trihorio.

Tinctura Asae foetidae.

℞. Asae foetidae Uncias duas,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.
Solve digerendo et filtra.

Dosis: drachma dimidia pluries die.

Eodem modo parantur:

Tinctura Benzoës.

Dosis: guttulae decem vel viginti pluries de die.

Tinctura Galbani.

Dosis: guttulae viginti pluries die.

Tinctura Guajaci Resinae.

Dosis: guttulae triginta ad quadraginta ter die.

Tinctura Myrrhae.

Dosis: guttulae triginta pluries die.

Tinctura Asae foetidae ammoniata.

(*Tinctara Asae foetidae volatilis.*)

℞. Asae foetidae Uncias quatuor,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias sedecim.

Frigida digestione in vitro bene clauso per octo dies, saepius movendo, extrahatur tinctura.

Dosis: guttulae triginta pluries die.

Tinctura Balsami Peruviani.

℞. Balsami Peruviani Unciam unam cum dimidia,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.

Loco tepido digere per aliquot dies, tum per chartam cola.

Usus: externus.

Tinctura Benzoës composita.

(Balsamum Commendatoris.)

℞. Benzoës Uncias quatuor cum dimidia,
Aloes lucidae Unciam dimidiam,
Balsami Peruviani Unciam unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libras tres.

In vase clauso leni calore solve, deinde per chartam cola.

Dosis: guttulae quindecim ad viginti quinque, pluries die.

Tinctura Calami composita.

℞. Radicum Calami Uncias tres,
Zedoariae,
Zingiberis albi singulorum Unciam unam,

Pomorum Aurantii immaturorum Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libras tres.
Post digestionem exprime et filtra.

Dosis: guttulae quadraginta, vel quinquaginta bis die.

Tinctura Cantharidum.

℞. Cantharidum contusarum Unciam dimidiam,
Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.
Macera frigide per triduum, et filtra.

Dosis: guttulae decem ad viginti in emulsione amygdalina pluries die.

Tinctura Capsici annui.

℞. Fructuum Capsici annui incisorum Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.
Digere, exprime, et filtratum serva.

Dosis: guttulae viginti ter quaterve die in amaurosi, typho icterode, febre intermittente.

Tinctura Castorei.

℞. Castorei Sibirici minutim concisi Uncias duas,

Spiritus Vini rectificatissimi Libram unam.

Digere blando calore et filtra.

Dosis: guttulae viginti vel triginta omni trihorio.

Tinctura Castorei aetherea.

℞. Castorei Sibirici minutim concisi Unciam unam,
Spiritus sulphurico-aetherei Uncias sex.

Macera frigide in vitro clauso per octo dies, saepius subinde agitando, tum filtra et serva.

Dosis: guttulae viginti omni trihorio.

Tinctura Chinae composita.

(Elixir roborans Whyttii.)

℞. Corticum Chinae fuscae Uncias quatuor,
Aurantiorum,
Radicis Gentianae rubrae singul. Unciam unam cum dimidia,
Spiritus Vini Gallici Libras quatuor.

Digere in balneo arenae per dies sex, filtra et serva.

Dosis: guttulae sexaginta vel octoginta pluries die.

Tinctura Chinae composita vinosa.

(Elixir roborans Whyttii vinosum.)

Paratur cum loco Spiritus Vini Gallici recipiatur Vinum Lusitanicum album, et mixtura crebro agitata per dies quatuordecim digeratur loco frigido.

Dosis: uncia dimidia ter die.

Tinctura Colchici.

℞. Seminum Colchici contusorum Uncias tres,
Vini Hispanici, Cherry dicti, Libram unam,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias duas.

Peracta digestione per dies octo, exprime et filtra.

Dosis: guttulae decem vel quindecim.

Tinctura Colocynthidis.

℞. Colocynthidis a seminibus liberatae et minutim concisae Unciam unam,
Anisi stellati Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Post blandam digestionem per chartam cola.

Dosis: guttulae sedecim pluries die.

Tinctura Croci.

℞. Croci Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias octo.

Post digestionem exprime et filtra.

Dosis: guttulae triginta pluries die.

Tinctura Digitalis.

℞. Herbae Digitalis minutim concisae Uncias duas,
Spiritus Vini rectificati Uncias octo,
Aquae destillatae Uncias quatuor.

Digere leni calore, exprime et filtra.

Dosis: guttulae viginti et sensim plures aliquoties die.

Tinctura Euphorbii.

℞. Euphorbii Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libram unam.

Post digestionem filtra.

Usus: externus in carie.

Tinctura Ferri acetici aetherea.

℞. Ferri oxydati hydratici recenter praecipitati bene edulcorati et in tantum exsiccati ut massa maneat paululum adhuc humida, quantum lubet.

Solve in
Aceti concentrati quantitate sufficiente.

Plenariae hujus solutionis novem Unciae misceantur cum
Aetheris acetici Uncia una,

Spiritus Vini rectificatissimi Unciis duabus.

Dosis: guttulae viginti vel triginta pluries die.

Tinctura Ferri muriatici.

℞. Ferri muriatici oxydati Unciam unam.
Solve in
Spiritus Vini rectificati Unciis septem.
Filtra et serva.

Dosis: guttulae viginti ad triginta cum aqua aromatica.

Tinctura Ferri pomati.

(*Tinctura martis pomata.*)

℞. Extracti Ferri pomati Uncias duas,
Aquae Cinnamomi vinosae Libram unam.
Solve.

Dosis: guttulae triginta ad quadraginta aliquoties die.

Tinctura Guajaci ammoniata.

(*Tinctura Guajaci volatilis.*)

℞. Resinae Guajaci Uncias quatuor,
Liquoris Ammonii vinosi,
Tincturae aromaticae singulorum Uncias novem.

Frigida digestione in vitro clauso extrahatur tinctura, filtrata servanda.

Dosis: guttulae triginta et plures omni trihorio.

Tinctura Hellebori nigri.

(*Tinctura Melampodii.*)

℞. Radicis Hellebori nigri Uncias quatuor,
Coccionellae Scrupulos quatuor,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.
Post digestionem filtra.

Dosis: guttulae triginta ad quinquaginta aliquoties die.

Tinctura Jodi.

℞. Jodi Grana quadraginta.
Solve in
Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam,
et vitro bene clauso serva.

Dosis: guttulae octo cum aqua saccharata, bis terve die.

Tinctura Kalina.

(*Tinctura Antimonii acris.*)

℞. Kali caustici sicci, recenter parati, Uncias quatuor.
In mortario ferreo calefacto in pulverem tritas immitte in
Spiritus Vini rectificatissimi, in cucurbita leviter calefacti, Libras duas.

Agitentur bene, tum imposito alembico digerantur arenae balneo per aliquot dies. Tinctura rubicunda servetur.

Dosis: *guttulae decem ad quinquaginta, aqua copiosa dilutae.*

Tinctura Opii benzoica.

(*Elixir paregoricum.*)

℞. Opii,
Acidi benzoici,
Camphorae,
Olei aetherei Anisi singul. Drachmam unam,
Spiritus Vini rectificati Libras duas.
Digere et filtra.

Dosis: *guttulae triginta pluries, centum semel vel bis die.*

Nota. *Quaelibet uncia tincturae, grana duo cum dimidio opii continet.*

Tinctura Opii crocata.

(*Laudanum liquidum Sydenhami.*)

℞. Opii comminuti Uncias quatuor,
Croci Unciam unam et dimidiam,
Caryophyllorum,
Cassiae Cinnamomeae singulorum Drachmas duas,
Vini Malacensis Uncias viginti quatuor.
Infunde et digere, donec opium sit solutum, tum exprime, post subsidentiam cola ac serva.

Dosis: variat pro ratione finis ac subjecti, nec non repetitionis temporis, de gutta unica ad guttulas decem et plures.

Nota. *Drachma una solutionis continet opii grana decem.*

Tinctura Opii Eccardi.

(*Loco Tincturae Thebaicae.*)

℞. Opii comminuti Uncias duas,
Caryophyllorum Drachmam unam,
Aquae Cinnamomi simplicis Uncias octo,
Spiritus Vini rectificatissimi Uncias quatuor.

Digere donec opium sit solutum, cola et serva.

Dosis: definienda est ex opio.

Nota. *Drachma una solutum ex granis decem opii continet.*

Tinctura Opii vinosa.

℞. Opii comminuti Uncias duas,
Vini Malacensis Uncias sedecim,
Spiritus Vini rectificati Uncias quatuor.

Digere, cola et serva.

Dosis: guttulae decem ad viginti semel die.

Nota. *In scrupulo dimidio hujus tincturae, continetur granum unum opii.*

Tinctura Pini composita.

(*Loco Tincturae Lignorum.*)

℞. Turionum Pini Uncias tres,

Rasurae Ligni Guajaci Uncias duas,
Sassafras,
Baccarum Juniperi singulorum Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Libras tres.

Tinctura digerendo extracta exprimatur, et per chartam coletur.

Dosis: *guttulae viginti ad quadraginta pluries die.*

Tinctura Rhei aquosa.

℞. Radicis Rhei in taleolas tenuissimas scissae Unciam unam cum dimidia,
Kali carbonici crudi depurati Drachmas tres,
Aquae destillatae fervidae Uncias quatuordecim.

Macera per duodecim horas. Liquorem refrigeratum leviter exprimendo cola, et colaturae decantatae unciarum decem admisce
Aquae Cinnamomi vinosae Uncias duas.
Serva.

Dosis: *uncia dimidia cum aqua aromatica pluries die.*

Tinctura Rhei composita.

℞. Radicis Rhei Unciam unam,
Gentianae Drachmam unam cum dimidia,
Serpentariae Virginianae Drachmam unam,

Spiritus

Spiritus Vini rectificati,
Vini Gallici albi singulorum Libram dimidiam.

Misceantur et extrahatur tinctura.

Dosis: uncia dimidia bis terve die.

Tinctura Rhei vinosa Darelii.

(*Tinctura Rhei dulcis.*)

℞. Rhei concisi Uncias duas,
Passularum minorum Unciam unam,
Corticum Citri,
Radicis Liquiritiae singulorum Unciam dimidiam,
Cardamomi minoris Drachmas duas,
Vini Malacensis Libras duas.

Digere, et leviter exprimendo cola. Colaturae admisce

Extracti Helenii Unciam dimidiam,
Sacchari albi Uncias tres.

Serva.

Dosis: uncia dimidia aliquoties die.

Tinctura Sennae.

℞. Foliorum Sennae Uncias quatuor,
Seminum Carvi Drachmas tres,
Cardamomi minoris Drachmam unam,
Passularum minorum Uncias quatuor.

Concisa et contusa digere leni calore cum

Spiritus Vini rectificati Libris duabus cum dimidia.

Exprime et filtra.

Dosis: uncia dimidia bis die.

Tinctura stomachica Lentini.

℞. Radicis Calami,
Galangae minoris,
Gentianae rubrae,
Zedoariae singul. Unciam unam cum dimidia,
Rhei Drachmas sex,
Coccionellae Drachmas duas,
Cardamomi minoris Drachmas tres,
Flavedinis Corticum Aurantii Unciam unam,
Herbae Cardui benedicti Unciam unam cum dimidia.

Concisa et contusa digere cum
Spiritus Vini rectificati Libris quinque.

Exprime, filtra et serva.

Dosis: guttulae sexaginta ad octoginta bis die.

Tinctura Stramonii.

(*Vinum Stramonii.*)

℞. Seminum Stramonii contusorum Uncias duas,
Vini Malacensis Uncias octo,

Spiritus Vini rectificatissimi Unciam unam.

Digere leni calore, exprime et filtra.

Dosis: guttulae sex aliquoties die.

Tinctura Valerianae ammoniata.

(*Tinctura Valerianae volatilis.*)

℞. Radicis Valerianae minoris recenter pulveratae Uncias duas,
Liquoris Ammonii vinosi Uncias duodecim.

Digerantur frigide in cucurbita clausa per aliquot dies, vas saepius agitando. Tincturam saturatam et colatam in vitro obturato serva.

Dosis: guttulae triginta ad quadraginta aqua temperatae.

Trochisci bechici albi.

℞. Sacchari albissimi Libram unam cum Unciis octo,
Radicum Ireos Florentinae Unciam unam cum dimidia,
Amyli Uncias duas cum dimidia.
Mucilaginis Tragacanthae albissimae, Aqua Rosarum paratae, quantum requiritur
ut fiat massa ex qua formentur trochisci parvi.

Trochisci bechici nigri.

℞. Pulveris Radicum Ireos Florentinae,

Pulveris Radicum Liquiritiae,
Seminum Anisi,
Foeniculi singulorum
Unciam unam,
Succi Liquiritiae in Aqua Hyssopi soluti
Uncias quatuor,
Sacchari albi Uncias sedecim.
Mucilaginis Tragacanthae in Aqua Rosarum
solutae, quantum sufficit.
Misce fiant ex arte trochisci.

Trochisci Ipecacuanhae.

R. Pulveris Radicis Ipecacuanhae Grana triginta sex,
Sacchari albi Uncias quatuor,
Mucilaginis Gummi arabici quantum satis
ut fiat massa ex qua formentur trochisci numero
Centum quadraginta quatuor.

Trochiscus quilibet continet partem quartam grani unius e radice Ipecacuanhae.

Unguentum basilicum.

℞. Olei Olivarum Libras tres,
Cerae flavae,
Colophonii,
Sevi ovilli singulorum Libram unam,
Terebinthinae communis Libram dimidiam.

Lento igne liquata colentur.

Vis: maturans, suppurationem promovens.

Unguentum Cantharidum.

(*Unguentum irritans.*)

℞. Cantharidum contusarum Uncias duas,
Olei Seminis Papaveris Uncias octo.
Digere per horas duodecim in balneo aquae.
Colaturae Unciarum sex adde
Cerae albae Uncias quatuor
ut fiat unguentum.

Vis: irritans, stranguriam minitans.

Unguentum Cerussae.

(*Unguentum album simplex.*)

℞. Adipis suilli loti Libras duas,
Sevi ovilli Libram unam.
Colliquatis admisce
Cerussae subtilissime tritae Libras duas.

Vis: desiccans, leniens.
Usus: ad ambusta.

Unguentum Elemi.

(*Balsamum Arcaei.*)

℞. Elemi,
Terebinthinae laricinae,
Sevi ovilli,
Adipis suilli loti, singul. Par Pondus.
Leni igne liquefacta colentur per linteum.

Vis: digerens, maturans.
Usus: ad promovendam suppurationem.

Unguentum exsiccans.

℞. Olei Olivarum Uncias octo,
Cerae flavae Unciam unam cum dimidia.
Colliquatis admisce
Pulveris subtilissimi Boli Armenae Unciam unam,
Zinci oxydati albi Unciam dimidiam.
Serva.

Vis: exsiccans.

Unguentum flavum.

(*Unguentum Althaeae.*)

℞. Decocti mucilaginosi Radicis Althaeae, Seminum Lini singul. Uncias sedecim,
Pulveris Curcumae Unciam unam,
Adipis suilli Libras quatuor.
Coquantur leni igne ad consumtionem humidi tunc adde
Cerae flavae Uncias octo.
Liquefacta cola.

Vis: emolliens, resolvens.
Usus: ad mammas induratas, artus rigidos, dolores internos.

Unguentum fuscum.

(*Unguentum de la Mère.*)

℞. Emplastri Minii adusti Uncias octo,

Olei Olivarum Uncias quinque.
Lento igne calefac.

Vis: exsiccans.

Unguentum Hydrargyri albi.
(*Unguentum Mercuriale album.*)

℞. Hydrargyri ammoniato-muriatici Unciam unam,
Adipis suilli loti Uncias octo,
Olei de Cedro Drachmam dimidiam.
Exacte misceantur in mortario vitreo aut lapideo.

Vis: resolvens, antipsorica, antivenerea.
Usus: in ulceribus venereis, herpete, scabie.

Unguentum Hydrargyri cinereum cum Terebinthina.
(*Unguentum mercuriale cum Terebinthina.*)
(*Unguentum Neapolitanum cum Terebinthina.*)

℞. Hydrargyri puri Uncias quatuor,
Terebinthinae communis Uncias duas.
Tere in mortario lapideo ad perfectam hydrargyri extinctionem, tunc admisce
Adipis suilli Uncias sedecim.
Serva.

Vis: resolvens, antivenerea.
Usus: in lue venerea, ad hepatitidem aliasque inflammationes internas, ad tumores glandularum.
Dosis: drachma dimidia ad integram pro die.

Unguentum Hydrargyri cinereum sine Terebinthina.

(Unguentum Mercuriale sine Terebinthina.)
(Unguentum Neapolitanum.)

℞. Hydrargyri puri Uncias duodecim,
Sevi ovilli Uncias octo.

Tere in mortario lapideo ad perfectam hydrargyri extinctionem; tunc admisce
Adipis suilli Uncias sedecim,
Olei de Cedro Drachmam unam.
Serva.

Vis: anterioris, quin tamen cutem aeque irritet.
Dosis: drachma integra ad sesquialteram pro die.

Unguentum Hydrargyri cinereum fortius.

(Unguentum Mercuriale fortius.)

℞. Hydrargyri muriatici corrosivi Scrupulum unum,
puri Uncias sex,
Sevi ovilli Uncias duas,
Adipis suilli Uncias quatuor.

Tere in mortario lapideo ad perfectam hydrargyri extinctionem. Serva.

Vis: anterioris aucta.
Dosis: drachma dimidia ad integram pro die.

Unguentum Hydrargyri citrinum.

(Balsamum mercuriale.)

℞. Hydrargyri puri Unciam unam,
Acidi nitrici puri Uncias duas, vel quantum requiritur.

Solve digerendo. Liquorem etiamnum calidum sensim admisce

Adipis suilli liquefacti et semirefrigerati Unciis duodecim.

Serva.

Usus: in herpete, sit tamen modicus et parcat maculis inflammatis, in scabie, ulceribus phagedaenicis.

Unguentum Hydrargyri rubri.

(Balsamum ophthalmicum rubrum.)
(Unguentum mercuriale rubrum.)
(Ungentum ophthalmicum rubrum.)

℞. Hydrargyri oxydati rubri laevigati Unciam dimidiam,
Adipis suilli recentis loti Uncias quinque.

Exactissime misceantur et serventur.

Usus: in psorophthalmia, ulceribus venereis.

Unguentum Kali hydrojodici.

℞. Kali hydrojodici Drachmam dimidiam,

Tere additis aliquot guttis Aquae destillatae cum

Unguenti rosati Unciam unam

ut fiat unguentum album, tempore flavescens, quare semper recenter parandum est.

Usus: ad induratas glandulas, aliosque tumores frigidos.

Unguentum Linariae.

℞. Herbae recentis cum Floribus Linariae contusae Libram unam,
Adipis suilli Libras duas.

Coque leni igne ad aquosi exhalationem, tum exprime et serva.

Vis: emolliens, resolvens.
Usus: ad haemorrhoides coecas inflammatas.

Eodem modo paratur:

Unguentum Majoranae.

(Butyrum Majoranae.)

Usus: in catarrho neonatorum.

Unguentum ophthalmicum Richteri.

℞. Olei Cacao,
Adipis suilli loti singulorum Unciam unam.

Lento igne liquatis et refrigeratis admisce
Hydrargyri oxydati rubri laevigati Scrupulos octo.

Serva.

Vis: resolvens.
Usus: ad orbitae ambitum illitum opthalmiis chronicis sat bene medetur.

Unguentum ophthalmicum St. Yves.

(*Balsamum ophthalmicum St. Yves.*)

℞. Adipis suilli loti Uncias tres,
Cerae albae Unciam dimidiam.
Liquefactis et refrigeratis adde
Hydrargyri oxydati rubri laevigati Drachmas duas,
Zinci oxydati albi Drachmam unam,
Camphorae pulveratae Grana quadraginta quinque,
Olei Ovorum Drachmam dimidiam.
Exactissime misceantur.

Usus: in psorophthalmia.

Unguentum oxygenatum.

℞. Adipis suilli Uncias octo.
Supra lenem ignem in vase terreo liquatis sensim admisce, diligenter agitando,
Acidi nitrici puri Unciam unam.
Refrigeratum vase clauso serva.

Usus: in scabie, tinea, herpete. (*Lintea corrodit.*)

Unguentum pediculorum.

℞. Seminis Staphidis agriae Uncias duas,
Hellebori albi pulverati Unciam unam,
Hydrargyri puri Uncias duas,
Adipis suilli Libras tres,

Olei Laurini unguinosi Uncias sex,
Saponis Veneti Uncias tres.

Sapo in lixivio solutus, cum pinguedine coquatur, ad humiditatis aquosae consumtionem, postea oleum laurinum et pulveres, tandem hydrargyrum cum Terebinthinae Uncia una extinctum addatur. Fiat unguentum.

Usus: *e nomine patet sed capiti exulcerato parce.*

Unguentum Roris marini compositum.

(*Unguentum nervinum.*)

℞. Herbae Roris marini Libram unam,
Majoranae,
Rutae singularum Libram dimidiam,
Baccarum Lauri, Uncias quatuor.

Contusis adde

Adipis suilli Libras quatuor.
Sevi ovilli Libras duas.

Coque lento igne, donec aquosum consumtum sit. In colatura expressa liquescat

Cerae flavae Libra dimidia.

ab igne remotis et refrigeratis immisce

Olei Roris marini,
Baccarum Juniperi, singulorum Uncias tres.

Mixta serventur.

Usus: in paralysi.

Unguentum rosatum.

(*Unguentum Pomadinum.*)

℞. Adipis suilli in Aqua Rosarum loti, Uncias octo,
Cerae albae Uncias duas.

Lento igne liquefactis et refrigeratis in patina lignea sensim admisce
Aquae Rosarum Uncias tres,
Olei de Cedro Drachmam unam.

Usus: cosmeticus.

Unguentum contra Scabiem Jasserii.

℞. Pulveris subtilissimi Baccarum Lauri,
Sulphuris,
Zinci sulphurici singulorum Uncias duas,
Unguenti rosati Uncias octo.

Misce.

Dosis: uncia dimidia pro die.

Unguentum sulphuratum compositum.

(*Unguentum Anglorum contra Scabiem.*)

℞. Pulveris subtilissimi Sulphuris depurati Unciam unam,

Pulveris subtilissimi Radicis Hellebori albi Drachmas duas,
Kali nitrici Grana decem.
Saponis nigri Unciam unam,
Adipis suilli Uncias tres.
Misce.

Usus: in scabie.

Unguentum sulphuratum simplex.

℞. Sulphuris depurati Partem unam,
Adipis suilli loti Partes duas.
Misce.

Usus: in scabie.

Unguentum de Styrace.

℞. Styracis liquidi,
Elemi,
Cerae flavae singulorum Uncias septem cum dimidia,
Colophonii Uncias duas,
Olei Olivarum Libras duas cum dimidia.
Fiat secundum artem unguentum.

Vis: maturans, digerens, suppurationem promovens.

Unguentum Tartari stibiati.

(*Unguentum Tartari emetici.*)

℞. Tartari stibiati subtilissime triti Unciam unam,

Adipis suilli loti Uncias duas.
Misce exactissime et serva.

Vis: *resolvens, erodens, derivans.*
Usus: *in mania, cephalaea rebelli, tussi convulsiva.*
Dosis: *drachma dimidia ad integram pro die.*

Unguentum Terebinthinae.

(*Unguentum digestivum.*)

℞. Terebinthinae laricinae Uncias sex.
Vitellis ovorum Numero tres.
Exacte mistis admisce
Unguenti basilici Uncias sex,
Pulveris Aloës lucidae Unciam unam cum dimidia.
Serva.

Vis: *depurans, suppurationem augens.*
Usus: *in ulceribus saniosis impuris.*

Unguentum de Uvis (sic dictum.)

℞. Adipis suilli Uncias sedecim,
Cerae flavae Uncias octo.

Coque lento igne, donec aquosum consumtum sit. Ab igne remotis, colatis et semirefrigeratis immisce
Olei de Cedro,
Bergamottae singulorum Drachmas duas.
Effunde in capsulas papyraceas.

Vis: *emolliens, leniens.*
Usus: *ad exulcerationes e cantharidibus, mox sanandas.*

Unguentum Zinci.

(*Unguentum de Nihilo.*)

℞. Zinci oxydati albi Unciam unam,
Cerati simplicis Uncias octo.
Intime misceantur.

Vis: *exsiccans, leniens.*

Vinum Chinae martiatum.

℞. Corticis Chinae fuscae grosso modo pulverati,
Flavedinis Corticum Aurantii singulorum Uncias duas,
Vini Lusitanici Libras duas.
Stent in extractione per dies sex, tunc per chartam cola et adde
Vini martiati Uncias quatuor.

Vis: *roborans.*
Usus: *post morbos diuturnos, febres intermittentes, haemorrhagias in chlorosi.*
Dosis: *uncia dimidia aliquoties die.*

Vinum martiatum.

(*Vinum chalybeatum.*)

℞. Ferri pulverati Uncias duas,
Cassiae Cinnamomeae Unciam unam cum dimidia,

Vini

Vini Rhenani Libras tres.

Misce et sepone per mensem, saepius agitando, tunc per chartam cola.

Vis: *roborans.*

Usus: *in reconvalescentia a morbis diuturnis, post haemorrhagias, in chlorosi.*

Dosis: *drachma una pluries die.*

Vinum stibiatum.

(*Vinum emeticum.*)

(*Vinum antimoniatum Huxhami.*+)

℞. **Tartari stibiati Grana viginti quatuor,**
Vini Malacensis Uncias duodecim.

Solve filtra et serva.

Vis: *diaphoretica, resolvens, emetica.*

Usus: *in rheumatismo, arthritide, in saburra ventriculi.*

Dosis: *pro emesi uncia una vel sesquialtera; pro diaphoresi guttulae sedecim ad viginti pluries die.*

Zincum ferro-cyanicum.

(*Zincum hydrocyanicum.*)

Solutioni

Zinci sulphurici oxydati puri

sub perpetua cum spathula agitatione addatur solutio

Kalii ferro-cyanici venalis puri,

quamdiu praecipitatum inde nascitur quod secundum legem ablutum et siccatum, pulverem

+) Diese Benennung ist nach Wiggers Angabe, für den Wein, der nach der Vorschrift Huxham's [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] durch [illegible] des Vitrum antimonii, den man [illegible] einen mit Weine [illegible] gefüllten Weinflasche [illegible] [illegible] [illegible] wurde

exhibens album et saporis expertem, bene est servandum.

Vis: *leniens, antispastica.*

Usus: *contra affictus spasticos e nimia sensibilitate.*

Dosis: *granum unum vel duo.*

Zincum oxydatum album.

(*Flores Zinci.*)

duplici modi parari potest

a) aut calcinatione.

Zinci Indici frustula crucibulo candenti, capaci, alto et inclinato successive injice, crucibulo alio super imposito, ita ut zincum aëri pateat et spatha ferrea saepe moveri possit; oxydum quod subinde nascatur, statim exime. Tum partem ejus albam et leviorem per cribrum transmitte. Huic denique aquam superinfunde, agita, et brevi mora interposita, in vas aliud aquam adhuc turbidam supernatantem effunde et sepone, ut subsidat pulvis; denique effusa aqua, pulverem subtilissimum exsicca.

b) aut praecipitatione et insequente calcinatione.

℞. **Zinci sulphurici crystallisati puri Partem unam,**

solve in

Aquae destillatae fervidae Partibus viginti,

filtra et praecipita sufficiente quantitate

Natri carbonici depurati in Aqua destil-
lata soluti.

Praecipitatum album bene ablutum et siccatum incandescat in crucibulo tecto, donec cum acido quocunque mixtum, nullam producat effervescentiam. In vitro bene clauso serva.

Vis: *antispastica, anthelmintica.*

Usus: *in spasmis, epilepsia, exanthematum febrilium eruptione, tussi ferina; externe exulcerationes saniosas desiccat et demulcet.*

Dosis: *granum et sensim plura aliquoties die.*

Zincum sulphuricum purum.

(*Vitriolum album purum.*)
(*Vitriolum Zinci purum.*)

℞. Zinci Indici in frustula parva diffracti Libram unam,

solve in

Acidi sulphurici crudi cum partibus quinque Aquae pluvialis diluti quantitate sufficiente.

Solutio calida filtretur, et in cucurbita evaporet donec zincum sulphuricum incipiat excerni. Tum addantur

Acidi nitrici puri Unciae duae.

Ebulliant aliquoties, et tunc admisceantur

Zinci oxydati albi Uncia una cum dimidia.

Liquor jam misceatur cum Aquae destillatae partibus quatuor, et denuo coquatur per horam dimidiam. Liquor diluatur aqua destillata, filtretur et evapora-

tione ad crystallisationem disponatur, quod toties est repetendum, quoties crystalli formentur.

Si forsan lixivium, rite instituta evaporatione non obstante, crystallos non bene edat, addendae sunt Acidi sulphurici depurati diluti Unciae duae.

Vis: styptica, antispastica, majori dosi emetica.

Usus: in rheumatismo chronico, arthritide, spasmis, epilepsia, veneficio narcotico; externe in ophthalmia chronica, ulcusculis corneae, aphthis oris, uvula laxa.

Dosis: pro emesi grana quatuor ad grana decem, quin viginti et triginta; contra spasmos et usu protracto grani pars quarta, dimidia et sensim ultra.

III.

CATALOGUS REAGENTIUM.

CATALOGUS REAGENTIUM

QUIBUS MEDICAMINA TAM NATURALIA QUAM PRAEPARATA EXPLORANTUR.

Acidum aceticum vid. Pharmacop. pag. 145

— muriaticum purum vid. Pharmac. pag. 148

— nitricum purum vid. Pharmac. pag. 149

— oxalicum.

℞. Sacchari albi pulverati Uncias quatuor,
Acidi nitrici Libras duas.

Destillent e retorta vitrea, igne moderato, donec nullum gas nitricum amplius ascendat. Liquor excolor remanens ad crystallisandum reponatur. Crystallis separatis, liquori remanenti denuo addantur

Acidi nitrici Unciae quatuor, et uti prius destillet et crystallisetur; quae operatio bis adhuc repeti potest. Acidum oxalicum obtentum tunc solvatur in sufficiente quantitate Aquae destillatae ebullientis, et repetita crystallisatione depuratum et siccatum servetur in vase vitreo.

Acidum sulphuricum dep. vid. Pharmacop. pag. 151

Acidum tartaricum vid. Pharmacop. pag. 153
Aether sulphuricus vid. Pharmacop. pag. 154

Aqua Barytae.

℞. Barytae causticae, ustione Barytae nitricae paratae, Partem unam superinfunde cum
Aquae destillatae Partibus sedecim.
Exstinctione peracta aqua supernatans limpida filtretur, et vasis vitreis probe obturatis servetur.

Aqua Calcariae vid. Pharmacop. pag. 161

Baryta acetica.

℞. Barytae carbonicae, praecipitatione solutionis Barytae muriaticae ope Ammonii carbonici, et insequuta ustione bene edulcorati praecipitati paratae, quantum placet,
solve in
Aceti concentrati sufficiente quantitate
ad perfectam saturationem.
Solutio filtretur, evaporet ad crystallisationis momentum, et seponatur loco temperato. Crystalli obtentae siccentur, et vase vitreo probe obturato serventur.

Baryta muriatica vid. Pharmacop. pag. . . 172
nitrica paratur uti Baryta acetica.
Calcaria muriatica vid. Pharmacop. pag. . 175

Charta exploratoria coerulea.

℞. Laccae musicae in pulverem tritae Uncias tres,
Aquae destillatae fervidae Libram unam.

Infundantur in vase vitreo per viginti quatuor horas. Infusioni filtratae intingantur frustula chartae albissimae, quae loco umbroso siccata serventur.

Charta exploratoria lutea.

℞. Pulveris Radicis Curcumae Unciam unam,
Aquae destillatae fervidae Uncias octo.

Infundantur per tres horas. Infusioni filtratae intingantur frusta chartae albissimae, quae loco umbroso siccata serventur.

Charta exploratoria rubra.

℞. Acidi muriatici Drachmas duas,
Aquae destillatae Uncias octo.

Misceantur et intingantur frusta chartae exploratoriae coeruleae, quae loco umbroso siccata serventur.

Ferrum sulphuratum. Duplici modo paratur; vel enim Ferrum sulphuratum nativum tam diu uritur in crucibulo bene tecto, usque dum sulphur omnino abierit, quo facto quod

restat, conteritur et vasis vitreis rite obturatis servatur;

aut

℞. Ferri puri limati,
Sulphuris pulverati, partes aequales.

Probe mixta in crucibulo bene tecto tamdiu ure, usque dum sulphur omnino fugatum sit. Quod restat contere et vasis vitreis bene obturatis serva.

Gas hydrosulphuratum.

Gas hydrosulphuratum e ferro sulphurato addito acido sulphurico diluto in lagena idonea extricetur et per tubulum vitreum in liquorem perducatur, quem explorare vis.

Liquor Ammonii carbonici vid. Pharmac. pag. 238

Liquor Ammonii caustici vid. Pharmacop. pag. 238

Liquor Ammonii hydrosulphurati.

Gas hydrosulphuratum modo supra dicto extricatum, in liquorem Ammonii caustici perducatur, quamdiu ab hoc absorbetur. Tum in vase bene clauso liquor servetur.

Liquor Argenti nitrici.

Nota. *Omnes liquores, quorum praeparatio non addita est, solutione salis indicati in aquae destillatae sufficiente quantitate perficiuntur.*

Liquor Auri muriatici.

℞. Auri nummorum (quos Ducatos vocant)
Pars una,
in
Acidi muriatici puri Partibus duabus
et
Acidi nitrici puri Parte una
solvitur.

Liquidum a muriate argentico, in fundo remanente, separatur et leni calore, in vase porcellaneo, ad siccum evaporet. Massa, hoc modo omni acido superfluo liberata, in
Aquae destillatae Partibus decem
solvitur et in vitris bene clausis, loco umbroso servetur.

Liquor Cupri sulphurici-ammoniati.

Liquor Cupri sulphurici.

Liquor Ferri muriatici oxydati.

Liquor Ferri sulphurici crystallisati.

Liquor Kali carbonici vid. Pharmacop. pag. 246

Liquor Kali caustici.

Paretur ut liquor Kali caustici pag. 246 at Calcaria usta e Marmore Carrariensi, quod vocant, parata sit et Kali carbonici e Tartaro sumatur.

Liquor Kalii ferro-cyanici.

Liquor Kali oxalici.

Oxalium in aqua destillata solutum addito

Kali carbonico e Tartaro neutralisetur et liquor filtratus in crystallos redigatur, quae in aquae destillatae quantitate sufficiente solutae serventur.

Liquor Natri carbonici depurati.

Liquor Natri carbonici neutrali.

Liquor Natri muriatici.

Liquor Natri sulphurici depurati.

Liquor Platini muriatici ut Liquor auri muriatici.

Liquor Plumbi acetici depurati.

Liquor Stanni muriatici.

℞. Stanni purissimi limati Unciam unam.
Digerendo leni calore solve in
Acidi muriatici puri Unciis quatuor.
Liquor obtentus filtretur.

Tinctura Gallarum.

℞. Gallarum Unciam unam,
Spiritus Vini rectificati Uncias sex.
Digere, exprime et filtra.

Lamina Ferri.

Cupri.

Bacilli Zinci.

Tubulus ferruminatorum.

Cochlear e Platino.

INDEX.

E r r a t a

ante usum deligenter corrigenda.

Pag.	15	lin.	16	loco:	adultera tum	lege:	adulteratum
—	15	—	24	—	blenorrhea	l.	blenorrhoea
—	16	—	1	—	tecturae	l.	texturae
—	24	—	6	—	Cerusa	l.	Cerussa
—	30	—	18	—	stibiata	l.	stibiati
—	62	—	18	—	bipennatis	l.	bipinnatis
—	66	—	7	—	antithysterica	l.	antihysterica
—	73	—	17	—	sulphuricum	l.	sulphuricum crudum
—	83	—	12	—	Aepypto	l.	Aegypto
—	88	—	25	—	pavi	l.	flavi
—	88	—	26	—	flarens	l.	parens
—	124	—	15	—	Colochici	l.	Colchici
—	144	—	28	—	Vini	l.	vini
—	165	—	2	—	Apua	l.	Aqua
—	197	—	16	—	coctae	l.	cocti
—	203	—	15	—	Camphoratum	l.	camphoratum
—	206	—	12	—	Aquae	l.	aquae
—	222	—	1	—	Mortario	l.	mortario
—	224	—	24	—	Hydrargyrum	l.	hydrargyrum
—	238	—	26	—	lactem calcariam	l.	lac calcariae
—	261	—	26	—	Alcido	l.	Acido
—	364	—	6	—	neutrali	l.	neutralis

Oleum anthelmintic. Chaberti besteht aus

Ol. corn. cerv. foetid. part. 1 } bleiben 4 Tage
Ol. Terebinthinae part. 3 } stehen u. werden dann destillirt

S. Morgens u. Abends 2 Kaffeelöffel voll in einem Mund voll Wasser

Taffetas vesicans

wird auch wie Pflaster mittelst Eau de Cologne befeuchtet; worden aber nicht zu viel genommen werden darf.